SYNOPSIS
Veræ Catholicæque Doctrinę
DE GRATIA
& annexis Quæstionibus:

Proposita

Partim Libello qui anno superiori à Jansenitis in Communione Romana Gallicè prodiit sub hoc titulo,

CATECHISMUS GRATIÆ,
& postea recusus fuit sub isto, ELUCIDATIONES QUARUNDAM DIFFICULTATUM DE GRATIA;

Partim brevibus ad illum Scholiis Theologicis:

Interprete illius, & horum Authore

SAMUELE MARESIO, S.S. Theologiæ
Doctore ejusdemque Facultatis Professore primario
in Academia Provinciali Groningę & Omlandiæ,
ac in Templo Academico Ecclesiaste ordinario. authore heretico



GRONINGÆ,
Typis JOANNIS NICOLAI Typographi, M. DC. LI.

Generosissimo, ac non minus Pietate & Sapientiâ quam Natalium splendore Perillustri VIRO,

DOMINO,

D. IOHANNI, BARONI à GENT,

in Consessu Celsissimorum & Potentissimorum Ordinum Fœderati Belgij, Ducatus Geldrici nomine Assessori Ordinario, &c.

S. P.

Illustris ac Generosissime Domine,



Vùm nuper essem apud Te, ostendebas mihi Catechismum Gratiæ *Iansenitarum quem Lutetiâ attuleras; & mirabaris meritò rem eò devenisse in Communione Romana, ut plurimis nunc inciperet arridere illa Gratiæ salutaris Doctrina, quæ olim tam diras persecutiones in Protestantibus & Reformatis passa fuerat. Haud diu post domum redux in eundem Libellum incidi, denuò recusum sub hoc titulo,* Elucidationes quarundam difficultatum de Gratia, *fortè quod jam in eo* Catechismi *nomen* Inquisitio *condemnasset. Eo vero attentiùs perlecto, ac insuper ita humaniter rogante Doctissimo illo Viro qui ejus mihi copiam fecit, censui haud abs re me facturum, si ipsum Latinâ donarem Civitate & quibusdam* Scholiis *Theologicis simul illustrarem. Hinc nata hæc* Synopsis Veræ Catholicæque Doctrinæ de Gratia & annexis quæstionibus, *quam per partes ventilatam & disputatam publicè in hoc nostro Atheneo sub exitum anni hujus Academici, nunc integram sub Illustris Tui Nominis umbone juris magis publici facio. Hæc nostra Opella, uti confido, suo non carebit fructu; eritq; ipsius Gratiæ quidam Epicyclus sive Circulus deferens, cujusmodi nonnullis Cœli Luminaribus assignant Mathematici, ex quo gratissimos suos radios ultra Gallicum Horizontem diffundet, & suam Victricem Efficaciam, in illis ipsis ingratorum Castris, quæ Antesignanis ac Ordinum Ductoribus* Libero Arbitrio & Operum Merito, *ad ipsius oppressionem*

coierant, abundè commendabit. Proderit præsertim hoc Opusculum nostris Ecclesiis non uno modo: Nam præterea quod non possunt nobis non præbere jucundissimũ spectaculum Adversariorum certamina; ea præsertim in quibus pars melior & sanior eandem nobiscum propugnat Veritatem; quasi recens apud illos prodeuntem ex Democriti puteo in quem magno molimine demersa fuerat; etiam inserviet illis vel coarguendis, vel pudore suffundendis, qui post communionem ac subjectionem Romani Pontificis justissimis de causis ejuratam, nihilominus pluris faciunt Pelagiana & Semipelagiana placita, Molinæ, Lessij, Suarezij, Becani, Fonsecæ, Arriagæ, ac similium Iesuitarum, quorum cum juvenca amant triturare, quam sanam sanctamq; Gratiæ *doctrinam, quam Deus* omnis Gratiæ *in Scripturis sacris Ecclesiæ suæ commendavit, & contra sui ævi Hæreticos Augustinus, magnus ille Hipponensium Præsul, ejusque genuini Discipuli sequioribus sæculis, ex Paulo & alijs Apostolis* Gratiæ *Christi præconibus, fortiter & cordatè defenderunt. Hîc habebunt Huberiani, Pucciani, Synergistæ, Lutherani omnes, (uti volunt se appellari) quos æstus Disputationis contra nos & innatum plerisque φιλονεικίας vitium longiùs multò abducit quam par esset in his quæstionibus, quod se agnoscant & detestentur permistos non Principibus Achivis, sed phalangi Iesuitarum πελαγιανιζόντων, ideo hodiernis in ipso Papatu Vindicibus* Gratiæ, *suo maximo merito maximè exosorum. Hîc habebunt in quo genuinum frangant, illi qui in hoc Vestro Belgio* Remonstrantium *nomen sibi imposuerunt, dum ita palam fiet eandem omnino illos in Quinquarticulanis suis Controversijs fovere sententiam, quam cordatiores & solidiores Theologi ipsius Romanæ Communionis, Pelagianismi & ingratæ Hæreseôs in Iesuitis insimulant. Quis verò non malit grato animo* Gratiam *Dei discriminantem exosculari & celebrare, quam Iesuiticis se involuere nebulis, aut aculeis armare ad illam impugnandam, & ei se adjungere turbæ, quæ ut de Cicerone dixit Augustinus,* homines dum vult facere liberos, facit sacrilegos? *Hîc habebunt in quo erubescant nonnulli cæterà nostræ Communionis Eruditissimi Viri, (excitati antea hac de causa motus in mea Gallia jam Dei Gratiâ fœliciter resederunt,) qui dum vel suos novos conceptus in Theologiam vehementiùs voluerunt introducere; vel certiorem & breviorem conquisiverunt methodum ad hac Mysteria* Gratiæ & Prædestinationis *populariter explicanda, instar tamen eorum nautarum qui dum compendiosiorem viam quærunt sub polo in Orientem, incidunt in Syrtes & à glacie obruuntur; vel ut Syncretismum cum Theologis illis qui Augustani volunt dici,*

studiosiùs

ſtudioſiùs promoverent, multa de Gratia *&* Prædeſtinatione *&* Redemptione Univerſali *propoſuerunt, quæ ipſi genuini veræ* Gratiæ *Aſſertores Communionis Romanæ in ſuis Ieſuitis improbant & deteſtantur. Nonne enim ipſos malè habebit, quod aliquo ſaltem paſſu propiùs quam reliqui noſtri Doctores, acceſſerint ad Ieſuitarum Pelagiana dogmata, quaſi illis contra Ianſenitas laturi ſuppetias, quo tempore à Ieſuitis tam longè recedebant, tam propè ad nos accedebant in ipſo Papatu* Gratiæ Dei *ſolidi Propugnatores? Deniq; vel hinc liquebit, celebria illa quinque Capita, de Prædeſtinatione, Redemptione per Chriſtum, Libero Arbitrio, Converſione Peccatorum, & Perſeverantia Sanctorum, quæ contra Remonſtrantium ſtrophas, vindicavit, aſſeruit, explicavit ex Dei Verbo, Celeberrima Synodus Nationalis Dordracena, ante annos 32. præter propter celebrata, & in quibus omnibus* ὁμόφωνες *habemus Doctiſſimos Ianſenitas, adverſantibus & ringentibus Ieſuitis, ita indivulſé ſibi invicem cohærere, ut uno ex illis vel luxato, vel ſuâ ſede dejecto, cætera conſiſtere nequeant. Sunt hæc quinque capita Doctrinalia,* Gratiæ Divinæ *quinque faces, quæ ut olim in Romanorum Nuptijs, in Agni Thalamo* ἀζβεςῶς *lucere debent, prout proculdubio pergent in Eccleſijs noſtris ſplendere, inſtar eorum Syderum quæ nobis nunquam occidunt, invito omnium Ingratorum conatu, qui etiamnum hodie in hoc Veſtro Belgio Ieſuiticam ſuam cauſam collapſam haud bonis artibus ſtudent reſtaurare. Indicio ſit, ut cætera mittam, Libellus qui nuper admodum prodijt Amſtelodami, ſub* Veritatis Pacificæ *ſpecioſo titulo, in quo ex principiis & placitis Magni quidem & Iuriſconſulti & Politici, ſed parum fœlicis Theologi,* Hugonis Grotij, *talis proponitur miſcella Socinianiſmi, Papiſmi, Proteſtantiſmi, ut Author qui poteſt quoslibet errores aliarum partium concoquere, emollire, propinare ſuo Lectori, nequiverit ſibi temperare à* Gratiæ *doctrina, qualem hic defendimus poſt noſtram Synodum Dordracenam cum Ianſenitis, conceptis verbis, maximè circa Prædeſtinationem, rejicienda; ut vel ex hac notâ, ex iſto* Schibboleth *minùs commodè enunciato, innoteſcat cujas ſit & quid moliatur ille Scriptor, qui exulantem Pelagianiſmum per poſticum ſtudet revocare: Ac ſicut inde dicitur dignoſci Diabolus cum aſſumptâ hominum formâ illis ſtudet illudere, quod in pupillis oculorum quos mentitur nullæ appareant colloquentium imagines, ita hinc agnoſcitur quarū ſit partium Anonymus Hybrida, qui vocem imitatus Iacobi Eſauiticas & Ieſuiticas manus habet, quod ejus aſſertiones non eam* Gratiæ *Divinæ referant imaginem, quæ in Orthodoxorum ſcriptis ſemper primas tenere:*

debet. Quin autem hoc qualecunque Munusculum, è nostra Scholastica penu desumptum, Illustris & Generosissime Baro, *Tibi sit acceptum & gratum futurum, nullus dubito. Novi etenim optimè cum toto hoc Belgio, (cui quantum Sapientissimis Tuis Consiliis in Celsissimo Amphictyonum suorum Consessu à multis annis profueris & studeas quotidie prodesse, omnes confitentur) quod Tibi summopere cordi sit Dei Causa, & Conservatio ac Propagatio Orthodoxæ illius Religionis in cujus Ancili hæc* Gratiæ *doctrina idem obtinet quod imago Phidiæ in suæ Palladis clypeo, adeo ut revelli inde nequeat, quin frustatim concidat totum opus. Novi optimè, quod licet nullum sit Scientiarum & Disciplinarum Humaniorum genus in quo solidè non sis versatus, attamen maximam partem temporis quod Reipublicæ Regimini & Negotiis Publicis potes suffurari, soleas piis & sacris Meditationibus* Veritatis *&* Gratiæ *Divinæ impendere: Hoc te reficis Nectare, hac te pascis Ambrosiâ. Novi optimè, quod nullâ certiori panaceâ unquam in morbis & adversitatibus hujus vitæ usus fueris, quam eâ quæ ex* Gratiæ *ac Redemptionis in Christo doctrina, fiducia, sensu, exprimitur: ac benè adhuc memini quantum olim ante viginti annos perciperes inde pij solaminis, cum Tibi in Castris graviter decumbenti frequentior adessem, & pro mei Ministerij ratione, quæ eò facerent quam possem diligentissimè inculcarem: Vt etiam huic Divinæ* Gratiæ *tum Tibi per me annunciatæ, ipse debeam summum illum Favorem quo me pro Tua Humanitate ab illo tempore complecti dignatus es. Ecquid quæso magis gratum, quam hanc Diatribam de* Gratia *possem offerre Tibi, quem eadem Dei* Gratia *ita liberaliter instruxit Virtutibus omnigenis, Theologicis, Moralibus, Politicis & Intellectualibus, ut ijs qui propiùs Te accedunt, meritò videaris ab ipsis Gratijs & Charitibus non modò educatus, sed planè formatus fuisse? Nec possem ipse luculentiori argumento quam hoc de* Gratia, *gratum meum animum profiteri adversus gratuitam illam Benevolentiam & Existimationem quâ me multis abhinc annis eousque prosequutus es, ut summopere optaveris Primogeniti tui filij, (Elegantissimi sanè Pueri & in quo vivida & certissima virtutis Paternæ supra ætatis captum ordinarium semina se produnt) si non institutionem plenam saltem aliquam inspectionem, me posse suscipere & ideo malueris eum octennem & tenellum huic Frisico crasso & Bœotico aëri exponere, quam aliorum manibus formandum committere. Et sanè ut illum eâ indole instructum esse* Gratiæ *Dei acceptum ferre debes, sic & in eam debeo refundere quod mea qualiscunque in ipso excolendo cura hactenus fœliciter successerit,*

Velis

Velis igitur, Illuſtris & Generoſiſſime Domine Baro, *grato animo hanc Diſſertationem de* Gratia *Tuo Nomini inſcriptam, in gratitudinis meæ* τεκμή-ριον *admittere, & permittere ut juxta morem priſcorum in Africa Chriſtianorum qui hac formulâ*, Gratia Dei, *ſe in mutuo occurſu ſalutabant, eandem* Gratiam *quam hîc defendo, Tibi Tuiſque ex Cordis intimo ſacrario eodem affectu & ſtudio imprecari pergam, quo ſum & manebo in æternum,*

Illuſtris & Generoſiſſime Domine,

Tibi ad omnia obſequia devinctiſſimus,

SAMUEL MARESIUS.

Groningæ XII. Iulij, ſtyl. Iulian. 1651.

Nomina

Nomina Ornatissimorum & Doctissimorum Juvenum, qui in Academia Groning-Omlandica publicè defenderunt Catechismum Gratiæ cum illius Sholijs:

JOHANNES PICARDT Groninganus, 25. Junij sustinuit Disputationem primam, ad *Præfationem & Caput primum*, quod est *de Gratia* in communi.

JOHANNES SCHLICHTINGIUS Wolthusâ - Frisius-Orientalis, habuit Disputationem secundam 27. Junij, ad *Caput II.* quod *est de Gratia Christi* & III. quod est *de Lege Dei.*

JOHANNES NICLENIUS Exœcio-Omlandus, propugnavit Disputationem tertiam 2. Julij ad *Caput IV.* quod est de *Necessitate & Effectis gratiæ* & *Caput V.* in quo *respondetur ad quadam dubia popularia circa hanc doctrinam de Gratia.*

CASPARUS TSORMOLY BATIZI Ungarus, defendit 5. Julij quartam Disputationem ad *Caput VI.* quod est *de Peccato Originali* & *Caput VII.* quod est *de Prædestinatione.*

ERRATA.

HAud dubium quin Typothetæ inter festinandum quandoque lapsi sint; Errata benignus lector facilè excusabit: Obiter hæc observata sunt: Pag. 76. lin. 7. pro *necessitatem effic.* lege *necess. ac effic.* Pag. 79. lin. 16. pro *pendet vel ex* lege *pendet ex* Pag. 81. lin. 9. pro *quia* lege *quis* Pag. 95. lin. 23. pro *per non omnia* lege *per omnia* Ibid. lin. 24. & 25. pro *altera* lege *alteram* Pag. 110. lin. 16. pro *hodie sacram illam* lege *hodie sedem illam sacram.* De similibus simile esto judicium.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

NEmo est qui nesciat quam vehementer aliquot ab hinc annis recruduerit in communione Pontificia bellum *de Auxilijs* (uti loquuntur) & cui moderando jam à præcedenti sæculo, nec diu post Concilium Tridentinum, Romæ destinata fuit diutissimè specialis Cardinalium Congregatio, quæ inde *Congregatio de auxilijs* vulgò dicta est. Nam Jesuitæ & qui sunt ejusdem factionis, quibus solemne est post suos Molinas, Lessios, Suaresios & similes, Pelagij Hæresiarchæ dogmata partim novo tectorio incrustare, partim palàm sic satis propinare, Cornelij Jansenij Yprensis Episcopi *Augustino*, ante undecim præter propter annos edito, perterriti, vires recolligere, & inclinatam tantumque non fusam illo libro suorum aciem redintegrare, magno molimine studuerunt. Jansenius siquidem opere suo tomis tribus distincto *adversus Pelagianos naturæ humanæ stantis seu innocentis vires, lapsæ vulnera, & gratiæ per Iesum Christum liberatricis, naturam, efficaciam, necessitatem, è profundissimi omnium Theologorum Magistri principijs dilucidè ac solidissimè (ut testimonia cordatiorum omnis ferè ordinis Theologorum fidem faciunt) ob oculos posuerat,* ut asserit Valerius Andreæ ICtus Lovaniensis *in Bibliotheca Belgica, edit. anni* 1643. *pag.* 155. adeoque Michaëlis Baij, Theologi quondam Lovaniensis Doctissimi nec procul positi à Regno cœlorum, causam, antea authoritate & vi potius quam veritate & argumentis oppressam, fortiter vindicaverat. Sed Jesuitæ cedere nescij, huic Janseniano operi posthumo sollicitè se opposuerunt, & tanquam ad

commune incendium reſtinguendum, Societatis ſuæ artes omnes & omnem quâ pollent authoritatem in ipſum Pontificem Romanum excuſſerunt. Verum dum vehementiùs quam cautiùs id agunt, *Auguſtinus* Janſenij vires acquiſivit eundo, taleſque Dei gratiâ progreſſus fecit ipſo ſuo titulo plauſibilis cauſa Gratiæ, ut plerique Theologi & Epiſcopi in Communione Romana, per Belgium præſertim & Gallias, vel novâ luce colluſtrati Janſenij labore, vel ejus exemplo perducti ad liberam profeſſionem ejus ſententiæ quam priùs in ſinu preſſerant, palàm cœperint bonæ cauſæ ſuffragari & refragari placitis Jeſuitarum. Hinc illis factum nomen *Janſenitarum*, imò & *Bajanorum*, ut eos maluit appellare Martinez de Ripalda Jeſuita, in operoſis ſuis contra illos diſputationibus; dum longè gravioribus titulis, Pelagianorum, Semipelagianorum, Ingratorum, Gratiæ inimicorum, ſuo maximo merito Jeſuitæ ab illis inſigniuntur.

Hujus mei inſtituti non eſt iſtius certaminis hiſtoriam ſigillatim retexere, & omnia ſcripta hinc inde edita, cùm nequidem omnia ad manus meas pervenerint, commemorare; aut referre quomodo hæc lis renovata fuerit occaſione aliarum Controverſiarum quas Jeſuitæ auſi ſunt movere Hierarchicis ſive Epiſcopis communionis ſuæ, quo faciliùs eorum authoritatem conculcarent, munus involarent, jura ad ſe raperent; unde natæ eriſticæ ſcriptiones inter Jacobum Sirmondum Jeſuitam doctiſſimum & eruditiſſimum virum Joannem Vergerium Hauranium, Abbatem Sancyranum, qui Petri Aurelij nomen aſſumpſit, cujuſque poſtmodùm labores in unum recollecti, authoritate & ſumptibus totius Cleri Pontificij in Gallia recuſi fuerunt; aut narrare quid illis quæſtionibus immixtum fuerit ab Arnaldo Sorboniſta valdè docto, de publica Pœnitentia reſtituenda, de frequenti Communione Euchariſtica, quam Jeſuitæ potiſſimum invexerunt, abroganda, de Petro & Paulo conjunctim fundatoribus Sedis Romanæ, illiusque primis Epiſcopis agnoſcendis; quod ultimum

mirum

mirum non est tantoperè displicuisse parasitis Romani Pontificis, quandoquidem fundat omne suum jus imaginarium in unius Petri successione; etsi ipse Bellarminus *lib.* 3. *de Rom. Pontif. cap.* 2. disertis verbis statuat quod *constet tempore Apostolorum non fuisse Romæ alios Episcopos quam Petrum & Paulum: Disertè enim* (inquit) *affirmat Irenæus lib.* 3. *cap.* 3. *à Petro & Paulo sedem Romanam fundatam, & primos in ea Episcopos sedisse*; quod Monarchiæ Papali & unius authoritati stabiliendæ parum convenit.

Sufficiat observasse, I. has nunc quæstiones de Gratia & annexis capitibus, non modò inter Eruditos & intra Scholarum septa agitari, ut jamdiu antea factum inter Dominicanos qui Thomistæ, & Franciscanos qui Scotistæ vulgò audiunt, sed etiam in ipsis circulis plebeis ventilari, & ab Academiarum subsellijs ad Templorum ambones, imò ad ipsas tonstrinas transijsse.

II. Ad Veritatis triumphum & Antichristianę Sedis subversionem imminentem has Controversias de Gratia omninò spectare. Gratia enim salutaris Christi cordatè vindicata & in arce reposita, suos non deseret Defensores, sed illis novum suppeditabit lumen cujus beneficio alios errores Communionis suæ recognoscant & rejiciant. Cur id dicam, imò cur planè sperem Dei Gratiam suis Vindicibus hodiernis majus lumen cum tempore affusuram, ad Antichristianismi & Idololatriæ in Papatu eversionem, maximè circa quæstiones Eucharisticas, quæ, ut pote practicæ, partes diffidentes magis divellunt, graves habeo rationes. Primò enim ipsius Papæ Authoritas sensim labascit, non solum per ea quæ ab Arnaldo Sorbonista ejusque sequacibus alijsque Richeristis scripta & facta sunt, & communiorem cæteroquin Scholæ Sorbonicæ sententiam, quæ Pontificem errori facit obnoxium & subjicit Concilio, ipsumque ab Ecclesia *auferibilem*, ut Gerson loquebatur, asserit, sed etiam per has ipsas Controversias de Gratia, in quibus Pauli & Augustini sequaces, plurimas defendunt ac tuentur Propositiones

quas Pius v. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. in Jesuitarum gratiam censurâ notaverant, ut asserit ipsa Censura Romana hujus opusculi Catechetici, quod Latinum nunc damus, facta *feriâ* 5. 6. *Oct.* 1650. Imò, quantum percipio, hanc ipsam Censuram, ceu subreptitiam nec obligantem, naso suspendunt adunco. Deinde ipsum Conciliabulum Tridentinum, (quod prius in ordine Conciliorum, quæ generalia censentur in Papatu, anno 1551. plenè sancivit *Transsubstantiationis* dogma, ante quidem in Lateranensi propositum ab Innocentio III. anno 1215. sed, ut quidam eruditi observant, absoluto Concilij decreto non stabilitum; videantur Thomas Mortonus *de Euchar. parte* 2. *class.* 2. *cap.* 2. *sect.* 2. & David Blondellus *de ead. cap.* 20. & saltem ante illa Lateranensia tempora, pro dogmate fidei non habitum, ut Scotus statuit apud Bellarminum, *lib.* 3. *de Euch. cap.* 23. & Gabriel apud Suaresium *tom.* 3. *disp.* 50. §. 1.) valdè nutat apud Eruditos illos & Jesuitis importunos Gratiæ præcones. Nam etsi palàm non audeant Concilio refragari, imò conentur ejus Canones instar nasi cerei emollire & in sensum benigniorem interpretari, ubi tamen conscientias suas interrogaverint, satis illę testabuntur quod ea Pauli & Augustini doctrina quam defendunt absque ferruminatione violenta non possit conciliari cum decisionibus Concilij, ijs potissimum quæ illius *sessione* 5. *&* 6. leguntur. Tertiò, cùm apud eosdē Heroas Scriptura sacra sit longè in majori pretio quam apud Jesuitas & vulgus Scholasticorum, ejusque Lectionem & Meditationem soleant sedulò commendare, quis non speret Idolū tandem coram hac Fœderis Arca ruiturum, & istam Mosis virgam Magorum virgas, per quas illudunt plebeculæ Superstitione effascinatæ, penitùs absumpturam? Quartò, ab ijsdem Doctissimis viris secundum Scripturas in summo pretio habetur Augustinus. Hunc verò si eadem diligentiâ conferant in quęstione de Eucharistia, ut cæteras nunc taceam, quâ eúm legerunt in Controversijs de Gratia, receptæ apud suos opinioni haud ægrè valedicent: Is enim passim

passim docet, *Panem* esse & *vinum* quæ in Eucharistia distribuuntur, *de Civit. Dei lib.* 16. *cap.* 22. *&* 37. Hæc esse *figuram* corporis & sanguinis Christi, *in Psal.* 3. Nonnisi *quodammodo* panem esse corpus Christi, & quomodo demum Sacramentum fidei *fides est*, in quantum nempe Sacramenta quandam habent *similitudinem ipsarum rerum* quarum sunt Sacramenta, ex qua earundem *nomina* accipiunt, *Epist.* 23. Signis variatis, cùm sub Veteri Testamento Petra esset Christus, nobis Christum nunc esse *id quod ponitur in altari*, *tract.* 54. *in Joh.* Figuratè, non propriè, Christum esse loquutum cùm carnis suæ manducationem commendavit, *lib.* 3. *de Doct. Christi cap.* 16. *& in Psal.* 98. Non dubitasse Dominum *dicere hoc est corpus meum, cùm daret signum corporis sui*, *contra Adimant. cap.* 12. Non ore & ventre, sed corde & fide carnem Christi manducari, *tract.* 25. *&* 26. *in Joh.* adeoque impios *licet carnaliter & visibiliter premant dentibus Sacramentum corporis & sanguinis* Christi, ejus *tamen carnem non manducare spiritualiter* nec *bibere sanguinem*, *tract.* 26. *in Joh.* Non posse Christi corpus esse nisi in uno loco, *epist.* 57. *lib.* 20. *contra Faust. cap.* 11. *tract.* 30. *in Joh.* eò quod omne corpus sit extensum & circumscriptum, & conveniens sibi spatium occupare debeat, *de Gen. ad lit. lib.* 4. *cap.* 8. *lib.* 83. *quæst. q.* 51. *epist.* 57. *lib.* 20. *de C. D. cap.* 18. *serm.* 28. *de Verbis Dom. lib. de quant. an. cap.* 4. 6. 14. nec queant duo corpora simul esse in eodem loco, *contra epist. fund. cap.* 16. Nihil posse esse signum suiipsius, *lib.* 7. *de Trinit. cap.* 1. *lib.* 2. *de doct. Christ. cap.* 1. nullumque accidens extra omne subjectum existere *de Imm. animæ cap.* 2. 6. 8. *Soliloq. lib.* 2. *cap.* 12. *epist.* 57. *lib.* 5. *contra Jul. cap.* 9. Quinimò ipsos Manichæos fuisse in sua imaginatione Dei-voros, quales volunt esse Pontificij, qui cum manducant (in Eucharistia) *Dei sui defectione se reficiunt*, *& cum digerunt illius refectione deficiunt*, *lib.* 20. *contra Faustum cap.* 19. Denique cum attendo ad laudes veri & puri Catholicismi quas Amplissimus Vir Gilbertus Mau-

guin Consiliarius Regius & in suprema Monetarum Curia Præses longè Doctissimus, qui nuper emisit *duobus tomis* distinctas, nec sine aliquot Doctorum Sorbonicorum solemni approbatione, suas *Vindicias Prædestinationis & Gratiæ*, plenas bonę frugis, confert in Ratramnum sive Bertramum Corbeiensem, *suæ Hist. & Chron. Dissert. cap.* 17. adeo ut *ne levissima quidem pravæ doctrinæ suspicio in illum cadere possit*, vix possum aliud mihi persuadere, quam viros illos emunctæ naris aliquid nunc odorari in Transsubstantione & Missa, quod ab Antiquitate puriori & verè Catholica longissimè recedat. Agnoscit enim Vir Amplissimus Ratramnum sive Bertramum Catholicum fuisse & Orthodoxum in duobus illis libris *de Prædestinatione*, quos nuper ipse in lucem protraxit: Agnoscit quoque ipsius esse librum *de Corpore & sanguine Domini* ad Karolum Regem, evertendæ orali manducationi carnis Christi, & panis in ejus corpus mutationi substantiali, ac locali corporis Christi sub vel in pane præsentiæ, unicè destinatum; quem olim ideo Adversarij tanquam à nostris confictum ut plurimùm rejecerunt, nominatim Claudius Sanctesius *Repetitionum de Euch.* 2. *cap.* 14. ut laudatur in hanc sententiam à Jesuita Gualthero *In Tab. Chron. Collationis Vet. Err. noni sæc. cap.* 5. etsi paullò antè, Bertramum cum Joanne Erigena in *columna hæreticorum illius sæculi* collocasset, & Sacramentariorum Patriarchis annumerasset. Utut sit hoc Bertrami opusculum de Eucharistia radio solis scriptum, ita destruit dogmata Pontificia circa eam, ita adstruit doctrinam in Ecclesijs nostris receptam, ut non minùs fulminet in Transsubstantiationem & oralem carnis Christi manducationem, etiam ab indignis, quam potenter evertunt ingratum Jesuitarum Pelagianismum ejus libri duo de Prædestinatione. Hinc est quod Bertramus de *Corpore & Sanguine Christi* inter Authores damnatos recensetur in indice librorum prohibitorum Concilij Tridentini: Hinc Miræus existimat Paschasium Abbatem Corbeiensem, in quo putant Pontificij se pluscula videre

quod

quod faveat ſuæ ſententiæ, quamvis longè adhuc ab illa remota, contra Bertramnm ſcripſiſſe, quod meritò rejicit Ampliſſ. Præſes, eo quod Paſchaſius ſcripſerit diu ante illum; Scripſit enim hic anno 818. at Bertramus nonniſi anno 850. juxta Præſidem, vel etiam 860. ut cenſet Blondellus, adeoque ipſo Paſchaſio, ut veroſimile eſt, jam mortuo. Imò cum illo ſæculo, maximè per Paſchaſium, in Occidente inciperet doctrina ſanior de Euchariſtia alterari, ut obſervatur eidem Blondello rerum Eccleſiaſticarum accuratiſſimo ruſpatori *cap.* 18. *de Euch.* Paſchaſio ſe hac in re oppoſuerunt Amalarius, Rabanus, Heribaldus, Walafridus Strabo, Magiſter Florus, Joannes Erigena, & noſter Bertramus, cujus judicium Karolus Rex circa hanc Controverſiam tunc in Eccleſia vigentem, non minus voluit audire, quam circa aliam de Prædeſtinatione: Et quam Ratramnus in ea ſemper conſtans fuerit patet ex opere ejus manuſcripto *de Nativitate Chriſti*, cujus duo exemplaria in Anglia aſſervari monet Reverendiſſimus Uſſerius Armachanus Archiepiſcopus, *in quo ſimiliter agit de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti.* Nec voce *ſimiliter* uſus fuiſſet Vir Integerrimus, ſi, quod vellet nos ſuſpicari Ampliſſ. Mauguin, non conſpiraret ibi Bertrami doctrina, cum ea quam luculenter tradit in opuſculo *de corpore & ſanguine Domini.* Et quamvis vocabula *converſionis* & *commutationis*, cœpta tum uſurpari in hac materia, Bertramus adhibuerit, ex quibus ſequiora ſæcula Tranſſubſtantiationē ſuam ſunt fabricata, quo ſenſu hujus in illo *ſemina* Magdeburgenſes citati Ampliſſimo Pręſidi annotarunt; tamen cuilibet ipſius opuſculum legenti, ſatis apparet quam procul fuerit ab hac portentoſa Papatus ſententia: Nec enim mutationem ibi intellexit phyſicam, ſubſtantialem & realem, ut cùm ex aqua factum eſt vinum in Cana, ſed myſticam, ſacramentalem & moralem, ut Symbola Sacra & ſint quod erant & nihilominus in aliud commutentur; ſiquidem Bertramus conceptis verbis, quæ ipſi Centuriatores referunt, non aliam admiſit converſionem panis

in corpus.

in corpus Chriſti, quam mannæ in carnem Chriſti, ex loco Pauli 1. Cor: x, 4. Quin quod ex illo obſervant ijdem Centuriatores, oſtendere ſcilicet eum *Corpus Domini & Sanguinem ſuper altare ſeu menſam poni & inde populo diſtribui* illo tempore ſolitum, non facit ad Tranſſubſtantiationis approbationem, ſed ad commendandam integritatem communionis Euchariſticæ, quæ nondum, ut hodie inter Pontificios, mutilata fuerat. Exoſculamur itaque ſincerum Ampliſſimi Præſidis judicium quod *Liber* Ratramni ſive Bertrami *de corpore & ſanguine Domini non adverſus Catholicam Eccleſiæ doctrinam, ſed contra Stercoraniſtarum hæreſim ſcriptus fuerit*; Nec enim quæ hodiernæ Pontificiorum doctrinæ adverſantur, eo ipſo cenſeri debent contra *Catholicam Eccleſiæ doctrinam* conſcripta fuiſſe: Non ſcripſit Bertramus adverſus Catholicam Eccleſiæ doctrinam, cum Prædeſtinationem Paulinam & Auguſtinianam vindicavit contra eos qui tunc turgebant nomine Catholico, etſi Reformati quod eandem profiteantur hodie, Acatholici dicantur Jeſuitis; Similiter nec adverſus Catholicam Eccleſiæ doctrinam inſurrexit, cum ea ſcripſit de Euchariſtia quæ hodiernæ in Papatu doctrinæ tam adverſantur, quam benè conſentiunt cum Reformatorum ſententia, quæ etiam in eo veræ Antiquitatis Catholicæ premit veſtigia, licet ideo ab adverſarijs Hæretici proclamentur: Imò ſi quæ ſit vel extiterit unquam hæreſis *Stercoraniſtarum*, ea non eſt extra Papatum quærenda: Eorum ſanè nec apud Bertramum nec apud Paſchaſium ulla occurrit mentio; imò nec ſequentibus ſæculis apud Lanfrancum aut Guitmundum; Prior quod ſciam eorum expreſſè meminit Algerus *lib. 2. cap. 1. de Sacramentis corp. & ſang. Dom.* circa annum 1130. pluſquam ducentis poſt Bertramum & Paſchaſium annis; eoque nomine illi notantur qui cenſebant carnem Chriſti ore ſumptam ſub ſpeciebus panis & vini, etiam ſub ijſdem ſpeciebus, vel has ſaltem, abire in ſeceſſum; Cui incommodo prævertendo, tum ipſe, tum Guitmundus ante eum, ſtatuerunt ſpecies ſacramentales non

poſſe

posse corrumpi, vel à muribus arrodi, vel dejici in secessum; qua de causa uterque erroris insimulatur à Bellarmino *de Scrip. Eccles.* Non ergo alij Stercoranistæ, quam ipsi Pontificij Dei-vori, qui statuunt corpus Christi posse, ut per ebrietatem aut infirmitatem vomitu rejici nondum consumptis speciebus Sacramentalibus, quod liquet ex *Cautelis* Missali apponi solitis, sic etiam per diarrhœam in secessum ejici. Tum etiam Algero *Stercoranistæ* dicuntur qui putabant ipsas saltem species sacramentales & posse nutrire & posse dejici per aluum, quorum neutrum hodierni Pontificij diffitentur. Imò eousque Pontificij agnoscunt se eos esse qui Stercoranistæ dicuntur Veteribus, ut non solum Guitmundo & Algero erroris dicam scripserint ob Stercoranistarum doctrinam improbatam, verum etiam nusquam & nunquam *Stercoranistas* olim Algero damnatos, hæreticis annumerent, quod seipsos sub sordido illo nomine haud illibenter agnoscant: prout & revera tenentur omnes patroni oralis istius manducationis, ex ipsiusmet Christi dicto notissimo Matth: xv, 17. *Quod ingreditur in os in ventrem cedit & in latrinam ejicitur.* Nec erat causa sufficiens Amplissimo Præsidi suspicandi *cap.* 18. *Dissert. Hist. & Chr.* Heribaldum, Amalarium, Rabanum, antesignanos fuisse Stercoranistarum hæreseôs, quam & fingit damnatam in Concilio Carisiacensi anno 838. licet in tomis Conciliorum Galliȩ duo tantum commemorentur Concilia Carisiacensia; primum celebratum anno 848. in quo damnatus Gotteschalcus; alterum habitum anno 857. de coercendis rapinis & populationibus; in quorum neutro hujus quæstionis fit mentio: Quin etiamsi conceptus Amalarij de Christi Corpore *triformi* & *tripartito*, in aliquo cœtu Carisiacensi fuerit damnatus, (quod Præses ipse acceptum fert Eruditissimo nostro Blondello, qui tamen non satis humaniter *Verbi Dei Pseudominister* ab eo insignitur) inde tamen non sequitur Amalarium aut cœteros ante commemoratos, pro hæreticis Stercoranistis, Algeriano sensu, habitos fuisse: Nulli etiam facilè

perſuadebit Doctiſſimus Præſes, Rabanum & Alamarium alterius ſententiæ fuiſſe à Johanne Erigena Scoto, qui cæteroquin eaſdem partes in cauſa Prædeſtinationis & Gotteſchalciana ſequebatur: Hic vero juxta Præſidem, illi iratum, *Berengarij præcurſor fuit & Sacramentariorum anteſignanus.* Non dubitem equidem Amalarium, Heribertum, Rabanum & alios, ſubnaſcenti orali carnis Chriſti manducationi, dictum Domini de eo quod in os ingreditur, oppoſuiſſe, ac illud Origenis urſiſſe relatū Sixto Senenſi *lib. 6. Bibl. Sanctæ, annot. 66. Quod ſi quicquid ingreditur in os, in ventrem abit & in ſeceſſū ejicitur, etiam ille cibus* Euchariſtiæ, *qui ſanctificatur per Verbū Dei & obſecrationem, ſecundū id quod habet materiale, in ventrem abit & in ſeceſſum ejicitur*; Quin hoc illos attuliſſe contra ſubnaſcentem illam per Paſchaſium & alios oralem manducationē carnis Chriſti, ſatis evidenter colligitur ex lacinia Manuſcripti cujuſdam antiqui, quam deſcripſit Blondellus; Verū tantum abeſt ut ideo dicendi fuerint Stercoraniſtæ quòd ſubſtantiam panis & vini Euchariſtici dicerent ore ſumptam ejici in ſeceſſū, adeoque carnem & ſanguinem Chriſti, quæ in ſeceſſum ejici nec poſſunt nec debent, non ſumi oraliter in, cum, vel ſub pane & vino, aut eorum ſpeciebus, ut è contrario reſtiterint illi orali carnis Chriſti manducationi, ne Stercoraniſtę fierent. Sed ex hoc diverticulo in viam redeamus, ac binis obſervationibus pręcedentibus & ſequentes adjiciamus; videlicet,

III. Idem re vera in capitali hac Controverſia ſentire Pontificiorum Janſenitas, quod docetur in noſtris Eccleſijs & Canonibus Synodi Nationalis Dordracenæ fuit definitum contra ſequaces Arminij, qui Remonſtrantium ſibi nomen fecerunt & ferè omnia ſua hauſerant ex Molina, Leſſio, Suarezio, alijsque Jeſuitis; Ideo Jeſuitæ gravi accuſatione pulſati Pelagianiſmi & Semipelagianiſmi ab his ſuis adverſarijs, nullum habent popularius convicium quod in illos jactent quam Calvinianiſmum, nihil quod gravius imputent quam Syncretiſmum cum Reformatis: Sic olim Bethelitæ ab Elizæo Idololatriæ convicti, nihil durius

durius poterant illi exprobrare quã ſuam calvitiem 2.Reg:11,23.

IV. Hoc nos conſequi per illas contentiones, ut in ipſa Communione Romana evaneſcant omnes illæ populares argutiæ quibus Orthodoxia noſtra gravabatur, ac ſi Deum cum Manichæis faceremus authorem peccati, ipſum hominum liberum arbitrium in genere entis negaremus, precum, pietatis & bonorum operum ſtudium inutile redderemus, & hominum conſcientias ex abſoluta Prædeſtinatione ad laqueum redigeremus. Quin etiam in quęſtionibus facti, ita Pelagianiſmi convictum nunc remanet Conciliabulum Arelatenſe tertium, cum ſuo non tam ἀρχηγῷ quam fabro infauſto, Fauſto Rhegienſi, ita Gotteſchalci innocentia & cauſa eſt vindicata, ita prætenſa Hæreſis Prædeſtinianorum vel Prædeſtinatorum profligata, quam & Remonſtrantes & Jeſuitæ ſolebant nobis objicere, refutato primum per Auuræum Sorboniſtam *Prædeſtinato* Sirmondi Jeſuitę, & eadem poſtea veritate fuſè propugnatâ non ita pridem per Ampliſſ. Virum D. Gilbertum Mauguin in Eruditiſſimis illis ſuis *Vindicijs Prædeſtinationis & Gratiæ*, ante annum editis, quarum modò memini, ut nemo amplius cui pudor & conſcientia non perierint, auſit vel niti authoritate Arelatenſis Pſeudo-Concilij & Actorum in cauſa Gotteſchalci contra nos, vel diffiteri ijs demum per calumniam impactam fuiſſe à Pelagij reliquijs Prædeſtinatorum hæreſim, qui Pauli & Auguſtini in doctrina de Prædeſtinatione & Gratia veſtigia relegebant.

V. Hæc debere propalari & urgeri in noſtris Academijs & per eas, tribus de cauſis; 1. Ut celebremus efficaciam Divinæ Veritatis & Gratiæ fumum abyſſi diſpellentis & de hominum Sophiſtica & Mendacijs tandem triumphantis. 2. Ut gratulemur nobis tùm quod illi qui tantoperè crepant ſuam ſub uno Capite unionem, ac Proteſtantibus ſua diſſidia tam liberaliter objiciunt, de graviſſimis inter ſe Religionis capitibus acerrimè confligentur; tùm quod per meliorem & ſaniorem partem Doctorum Eccleſiæ Romanæ juſtificetur noſtra cauſa à cœterorum calumnijs; tùm

quod motus illi convulſivi, quibus nunc ſubeſt Communio Pontificia, magnam in illa revolutionem, & quidni Sacerrimæ illius Sedis everſionem? portendere videntur. Nempe perficiet Deus opus ſuum & illum ἄνομον conficiet *Spiritu oris ſui* 2. Theſſ: 11, 8. 3. Ut illis ipſis Doctiſſimis & Eloquentiſſimis Viris inter adverſarios, cùm *Virtus vel in hoſte laudanda*, generoſos illos ſuos conatus in cauſa Dei & Gratiæ gratulemur, eosque quod decet Veritatis ſtudioſos, ad tendendum plus ultra invitemus. Dicebat Ageſilaus Pharnabazo, *Talis cum ſis, utinam noſter eſſes*; Sed jam eousque ſaltem noſtri ſunt fortes illi in Papatu Gratiæ præcones, quod & in rei ſumma quoad hæc capita idem ſentiant nobiſcum, & ea ponant ex quibus plures in ſua Communione nævos & errores, ſi ſeipſos modo audiverint, neceſſariò debeant agnoſcere. *Qui contra nos non eſt pro nobis eſt* Luc: ix, 50.

Igitur haud abs re me facturum exiſtimavi, ſi exhiberem Summarium ejus quam proponunt doctrinæ circa Gratiam & annexa capita, prout breviter & populariter hoc continetur libello quem ſuperiori anno in Gallia mea Gallico idiomate emiſerunt, eum Latinitate donando in aliarum Nationū gratiam, & illuſtrando brevibus Scholijs ad ſingula Erotemata, quibus vel Authoris mentem explicem dilucidiùs ſicubi obſcuriùs loqui videbitur, vel quod dixit confirmem quantum opus fuerit, vel ipſum fortè alicubi lapſantem, aut ſenſa ſua diſſimulantem ex profeſſo, erigam ex ſuis ſuorumq; veris principijs. Quo autem major huic opuſculo conſtet Authoritas, non diſſimulabo Authorem illius vulgò cenſeri Curionem ſive Parochum ad S. Mederici, Lutetiæ; adeoque & Theologum graduatum in Sorbona illum eſſe, & eo ipſo celebriorem quod hæc illius Parochia inter Urbis ampliſſimas ſolet annumerari; Nec deſunt in alijs Parochijs viri cordati & eruditi qui idem ſentiant. Scripſerunt nonnulli in Papatu, ut nominatim Brerleius Anglus, *Apologias Proteſtantum pro Romana Eccleſia*; Liceat ergo nobis hac occaſione edere Apologiam Catholicorum, ut volunt

appellari,

appellari, pro Ecclesia Reformata, saltem circa specialia illa capita de quibus hîc agitur; quandoquidem meliores ac doctiores illius Communionis hac in parte ὁμοψήφυς tam prolixè & evidenter habemus. Quod si ulla partium in Religione dissidentium Reconciliatio, semper optanda bonis, unquam speranda veniat, hac viâ debebit procedere. Ubi Gratiâ & Veritate prævalentibus, ea dogmata quæ hîc proponunt & propugnant Jansenitæ cum illorum annexis & necessariò consequentibus, publicâ authoritate suppressis Erroribus Jesuitarum πελαγιανίζοντων quibus opponuntur, constabilita erunt, & processum fuerit pari pede in alijs capitibus inter nos controversis, practicis potissimum, restitutâ scilicet integrâ Communione Eucharisticâ, sublatâ ἀρτολατρεία & omni Creaturarum invocatione, everso Imaginum cultu, & in sacris publicis usu linguæ peregrinæ ac vulgo ignotæ, ad eorum Communionem haud gravatè accedemus.

Hic autem Jansenitarum libellus, primùm editus fuit sub titulo *Catechismi Gratiæ*, sub quo nuper eum percurrebam Hagæ-Comitis, apud Illustrem Virum D. Baronem à Gent, qui illum secum Lutetiâ anno superiori attulerat: Sed, fortè quod eum *in forma & sub nomine Catechismi* editum fuisse improbasset Inquisitio Romana, & ideo inter cœteras causas illum publicè proscripsisset eo Programmate subreptitio, uti pertendunt Jansenitæ, quod ad calcem adjiciam, postea mutatâ inscriptione recusus fuit sub hoc titulo, *Elucidationes quarundam Difficultatum de Gratia*, sub quo mihi fuit concessus à R. & Doctissimo Viro D. Tobia Sellio Dantiscano, qui honestis suis precibus haud ægrè à me obtinuit ut eum Latinè redderem, & notulis quibusdam illustrarem. Sed ad rem ipsam veniamus; Authoris textus per Erotemata proponitur, & crassiori charactere etiam exprimitur, ac notas numerales habet præfixas. Nostra verò Scholia charactere minori expressa, eo ipso satis evidenter ab Authoris Jansenitę textu, quem bona fide retulimus, distinguuntur.

CATECHISMI GRATIÆ,

Sive

ELUCIDATIONUM QUARUNDAM DIFFICULTATUM DE GRATIA,

Caput Primum.

DE GRATIA.

1. *Quid est gratia?*

EST inspiratio amoris divini effusi in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, ut cum delectatione præstemus bona per legem cognita. *S. Aug. lib. 4. ad Bonif. cap. 5.*

‡ *Est inspiratio*] Hæc descriptio non est Gratiæ Divinæ, ut sonat gratuitum & indebitum favorem Dei erga homines peccatores, quo sensu & merè *objectivè* nos habemus ad Dei Gratiam, & Gratiæ nomen frequentiùs usurpatur in Scripturis, ut pote cui nostra electio, vocatio, justificatio, salus in solidum, adscribitur, Rom: III, 23. XI, 5. 6. I. Cor: XV, 10. 2. Cor: XII, 10. Ephes: I, 5. 6. 2. Tim: I, 9. Tit: II, II. Sed hîc describitur Gratia quæ vulgò habitualis dicitur, quamvis aliquid sit amplius, & sonat in Scholis Theologicis ex singulari & indebito Dei favore additum divinitùs naturalibus animæ nostræ facultatibus principium sive auxilium morale ad eas integras regendas, aut corruptas corrigendas, & dirigendas in vijs Domini: atque ad hanc Dei gratiam in nobis habitantem & operantem, nos *subjectivè* habemus.

Amoris divini effusi] Allusio est ad locum Pauli Rom: V, 5. Amor enim ille Dei apud Apostolum ita significat eum quo nos dilexit in Christo, cujus certitudinem, fiduciam & sensum excitat in suorum cordibus per Spiritum Sanctum, ut etiam, prout amoris pretium amor est, importet

est, importet, exigat & efficiat eam dilectionem quâ Deum diligimus, & quæ dicitur finis mandati 1. Tim: 1, 5.

Per Spiritum Sanctum] Hinc collige ita Spiritum Sanctum communicari pijs ad fidem & studium bonorum operum, ut & illius præsentiam ac operationem sentiant in cordibus suis quotquot sunt *in statu gratiæ*, ut vulgò loquuntur, & falsò nobis imputetur *Enthusiasmus* & *Spiritus particularis*, cùm in Spiritum Sanctum refundimus fidei nostræ πληροφορίαν, tum de origine & authoritate Divina Scripturarum, tum de nostra salute 1. Cor: 11, 12.

Ut cum delectatione] Hæc delectatio plena erat in statu innocentiæ; sed in statu reparationis per Christum tantum inchoata est in regenitis & *quoad interiorem hominem*, ut loquitur Paulus Rom: VII, 22. Eò spectant quoque loca Matth: XI, 30. 1. Joh: V, 3.

Præstemus] Ostendit enim Lex quid debeamus, sed ut id quoquomodo præstemus Gratia operatur; Domine fac quod jubes & jube quod vis; Ideo Augustinus *loco hic citato* Viro docto, ita loquitur; *Verum dicit lex, Qui fecerit ea vivet in illis; Sed ut faciat ea & vivat in eis, non lex quæ hoc imperat, sed fides est necessaria quæ hoc impetrat:* Et ibidem in Pelagianos invehitur quod *Legem* velint intelligi *Gratiam*, *ut scilicet à Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda sunt noverimus, non inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus, quæ propria Gratia est.*

2. *Omnis-ne gratia datur per merita Iesu Christi?*

Non; nec enim Gratia data Angelis & primo homini in statu innocentiæ, ipsis per merita Jesu Christi obvenerat.

3. *Quare?*

Quia Gratia Jesu Christi est Gratia Servatoris, Liberatoris, Redemptoris: Nihil autem servatur, liberatur, redimitur, nisi quod perditum, captivum, miserum sit. At Angeli & primus homo in statu innocentiæ, nec perditi erant, nec captivi, nec miseri; adeoque nec Servatoris, Liberatoris, Redemptoris, Gratia erat ea quæ illis obtigerat.

‡ *Non; nec enim*] Meritò hæc distinctio proponitur, quò meliùs intelligatur

intelligatur Gratiæ liberatricis efficacia & necessitas, & distinctiùs percipiatur nos revera amplius in Christo recuperasse quem amisimus in Adamo.

4. *In quo-nam statu creati sunt Angelus & primus homo?*

Fuerunt creati in statu sanctitatis & justitiæ, cognitionis & amoris divini: Deo simul formante naturam & suam gratiam conferente.

‡ *Fuerunt creati*] Adeoque 1. illa justitia, sanctitas & rectitudo primi hominis, non fuit simpliciter *Donum supernaturale*, ut pertendit Bellarminus contra nostros *de grat. primi hom. cap. 5.* sed fuit ei connaturalis; quamvis suo sensu *Gratia* dici posset, quatenus Dei indebito favori & suum esse & ei indivulso ac necessariò nexu conjunctum suum benè esse acceptum ferre debuit. 2. Fuit eadem justitia & sanctitas originalis, naturæ integræ intrinseca perfectio moralis & ornamentum, non *frænum extrinsecùs* superadditum *ad motus inordinatos concupiscentiæ* coercendos, nec *remedium adhibitum morbo seu languori naturæ humanæ, qui ex conditione materiæ oriebatur*, ut *ibidem & cap. 6.* per evidentem Manichæismum idem asserit Bellarminus.

5. *Poterant-ne in alio statu creari?*

Non: quia Deus nihil potest facere, quod in suo ordine non sit; Inordinata autem foret Creatura intellectualis, nisi in statu Gratiæ crearetur; & illius inordinationis solus Deus author esset; adeoque non aliter quam in hoc statu creari potuit.

6. *Quare Creatura intellectualis esset inordinata, nisi creata foret in statu Gratiæ?*

Quia ordo illius essentialis est ferri in Deum, ceu suum centrum & suam originem. Eò autem tendere non potest, nisi per auxilium quod à Gratia consequitur; & per consequens extra ordinem suum foret, si innocens destitueretur Gratiâ.

‡ *Non;*

‡ *Non; quia Deus*] Sic ergo rejicitur commentitium Scholasticorum πελαγιανίζοντων maximè vero Jesuitarum inventum de statu *puræ naturæ*, ut loquuntur, juxta quem homo *in puris naturalibus* constitutus, nec peccator sit, nec justus, nec aliter differat ab homine lapso *quam nudus à spoliato*, juxta regulam Bellarmini *cap. 5. de gr. primi hom.* & in quo vel hominem de facto creatum fuisse, superadditâ deinde chlamyde Justitiæ originalis, vel saltem potuisse creari, ad ravim usque vociferantur: Hunc Jesuitarum errorem & puræ naturæ statum imaginarium fusè debellat ipse Jansenius *tribus de statu puræ nat. libris* quibus clausit tomum 2. sui *Augustini*. Et qui statum illum puræ naturæ vel actu vel possibilem tuentur, (quos inter ex Jesuitarum & Pelagianorum placitis nuper quidam Philosophaster Leydensis in libello suo contra nos edito ad alia sua monstra propugnanda professus est nomen suum, non sine probro Academiæ in qua docet & offensa suorum Superiorum, qui illum impotentem animi sui deliri fœtum unà cum opinionum quas fovet portentis supprimi voluerant,) debent transire in Socinianorum castra, qui doctrinam Catholicam de Justitia originali primo homini in sua creatione & per illam collata naso suspendunt adunco, ut apud ipsummet Socinum videre est *prælect. suarum cap. 3.*

Nisi in statu gratiæ] Appellat author hunc statum integritatis primævæ *statum gratiæ*, non quod justitia & integritas non fuerit homini connaturalis & jure suæ creationis ipsi debita, sed quo removeat illum statum *puræ naturæ* quem & re & nomine Iesuitæ ex Pelagio hauserunt, ut docet & probat Iansenius *lib. 1. de st. puræ nat. cap. 1.*

Si innocens] Idest si ante contractam peccati noxam, (per quam excidit originali sua justitiâ,) sapientiâ, sanctitate & rectitudine debitâ careret.

7. *Quid differt Gratia illis collata in eo statu ab ea quæ obtinetur per merita Iesu Christi?*

Gratia quæ datur per merita Jesu Christi agit potentiori modo: Nam in statu innocentiæ, voluntas cum sana & libera esset applicabat & determinabat gratiam: sed nunc Gratia applicat, de-

terminatque voluntatem, eam ſubjicit ſuæ virtuti, domat Concupiſcentiæ rebellionem, ſuperat omnes noſtras reſiſtentias, & ſanat omnes noſtras infirmitates.

† *Gratia quæ datur*] Multæ inter utramque differentiæ poſſent obſervari; Prior enim erat homini connaturalis; Poſterior eſt ſimpliciter & abſolutè ſupernaturalis: Prior naturam proximè conſequebatur & ad illius perfectionem moralem pertinebat; Poſterior ex Chriſti Servatoris meritis & Redemptione ſimpliciter pendet: Prior erat ſuo ſenſu debita, ut paullò poſt videbimus; Sed poſterior eſt ſimpliciter & omnimodè indebita, adeoque omnibus numeris gratuita, juxta illud Auguſtini *contra Pel. & Cœleſt. lib. 2. cap. 24. Gratia Dei non erit gratia ullo modo, niſi gratuita fuerit omni modo.* Sed pręſertim magni momenti eſt differentia quæ hîc ab authore notatur, hauſta ex ipſo Auguſtino paſſim, præcipuè *de corrept. & grat. cap 12.* Is enim propoſitâ adjutoriorum, uti ea vocat, diſtinctione, *Aliud eſt,* inquit, *adjutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud quo aliquid fit*; & paullò poſt; *Primo homini qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet; Nunc vero ſanctis in regnum Dei per Gratiam prædeſtinatis, non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.* Et idem *cap. præced.* dixerat; *Nec ipſum,* nempe Adamum, *Deus eſſe voluit ſine ſua Gratia quam reliquit in ejus libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem nihil eſt niſi adjuvetur ab omnipotenti bono; quod adjutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus; ſed deſeruit & deſertus eſt. Tale quippe erat adjutorium quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc eſt prima Gratia quæ data eſt primo Adam; ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam; Prima eſt enim quâ fit ut habeat homo juſtitiam ſi velit; Secunda ergo plus poteſt, quâ etiam fit ut velit, tantoque ardore diligat ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate Spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat quâ demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrij, quoniam ſic adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bono non maneret, ſed hoc adjutorium ſi*

vellet

vellat desereret. Hac autem tanto major est ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit. Hinc autem liquet I. Jesuitas, Remonstrantes & alios patronos Apostasiæ Sanctorum, frustrà urgere exemplum Angelorum & primorum nostrorum parentum qui defecerunt & lapsi sunt, quo argumento pugnat inter cœteros Bellarminus *lib.3. de Iustif.cap.14.* Cùm illi recti quidem creati, relicti verò in manu sui consilij & præditi duntaxat Auxilio sine quo non perseverare potuissent, non tamen consequuti fuissent auxilium quo certò & infallibiliter perseverarent, quale datur Sanctis & justificatis per Christum: Unde illud Apostoli tam certum Rom: VIII, 30. *Quos justificavit eos etiam glorificabit.* II. Falsam esse definitionem liberi arbitrij quam mordicùs tuentur Jesuitæ, Sociniani & Remonstrantes, quod sit Facultas naturalis quâ homo positis omnibus ad agendum pærequisitis possit agere vel non agere; Siquidem ea est vis & efficacitas Gratiæ liberatricis in Christo, ut ipsam voluntatem sibi subjiciat, & determinet potenti tractione & persuasione suavissimâ ad agendum; Nec enim Gratia Dei efficit tantum ut possimus velle, sed ut actu velimus Phil: II, 13. imò *ut velimus sine nobis operatur*, inquit Augustinus *de grat. & lib. arb. cap. 17.* non utique cogendo nolentes, sed ex nolentibus volentes reddendo. III. Perperam fingi à Molina, Lessio, Suarezio & alijs Jesuitis, Gratiam omnibus dari sufficientem, cujus efficacia ex ultronea liberi arbitrij determinatione suspendatur; Sic enim è contrario arbitrium per Gratiam determinatur, *ut totum Deo dandum sit, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam & adjuvat præparatam*, inquit Augustinus *Enchir. cap. 32.* & hoc ipsum luculenter docet Paulus magnus ille Gratiæ præco 1. Cor: IV, 7. IV. Meritò Synodum Nationalem Dordracenam erroribus ex Ecclesia rejiciendis & quos hauserant Remonstrantes ex lacunis Jesuitarum πελαγιανιζόντων, annumerare sententiam de conversione per suasionem merè moralem, & talem duntaxat Gratiæ operationem cui homo & resistere possit & actu sæpè resistat, adeò ut Deus regenerationem ipsius intendens suo fine excidat; *Cap. 3. & 4. Doct. In reject. Err. §. 7. & 8.* Sanè insuperabilem & suo sensu irresistibilem hanc Gratiæ operationem, in Sanctis &

Electis Dei, & comprobat Scriptura Ezech: XXXVI, 26. Eph: I, 19. 2. Thess: I, 11. I. Pet: I, 5. 2. Pet: I, 3. & jam olim agnovit Augustinus; Deo volenti, inquit, *Salvum facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle aut nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem; de corr. & grat. cap. 14.*

8. *Si Deus Gratiam non dedisset Angelo & primo homini, fuisset-ne eorum lapsus cum reatu conjunctus?*

Non. Cùm enim nondum Deum offendissent non poterant Gratiâ privari, quandoquidem nihil aliud potest esse talis privatio, quam pœna peccati; Et si lapsi fuissent defectu Auxilij necessarij, non fuissent rei illo suo lapsu, quem non poterant absque hoc auxilio evitare. *S. August. lib. de corr. & grat. cap.* 11.

9. *At nunc?*

Quùm peccato nostro originali, vel etiam actuali, simus commeriti ut Deus suas Gratias nobis non largiatur, sumus rei omnium nostrorum lapsuum, quamvis eos absque Gratia vitare non possimus; quoniam nostrâ culpâ in hunc statum incidimus; ut qui suâ culpâ factus est non solvendo, non desinit obstrictus esse suis creditoribus: Quin in ipso foro creditur illi quandam pœnam justè infligi posse.

‡ *Non; Cùm enim*] Hoc totum sic expressit Augustinus l. c. *Si hoc adjutorium vel Angelo vel homini quam primùm facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine Divino adjutorio posset manere si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent; Adjutorium quippe defuisset sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale Adjutorium, jam pœna peccati est.* Non ergo peccarunt & lapsi sunt Deo subtrahente illis Gratiam quâ stabant & stare possent, etsi non illis dederit indebitam Gratiam immutabilitatis, quâ infallibiliter permanerent.

Sumus rei omnium] *Perditio tua ex te ô Israel, tantummodo in me auxilium*

me auxilium tuum Oseæ XIII, 9. Et hinc liquet quam perperam Jesuitæ & alij ejusdem furfuris homines, ut propugnent in homine corrupto liberi arbitrij vires non tantum ad moralia qualiacunque, sed etiam ad supernaturalia, inde colligunt argumentum quòd talia imperent, mandent, exigant Sacræ Scripturæ; nec possit Deus justè punire nolentes obedire & credere, nisi credere & obedire sit in eorum potestate. Quo argumento pugnat nominatim Tirinus meus *Cont. XIII. n. 4. & 7.* pugnat & Episcopius *cap. 1. de lib. arb.* Sunt enim Dei mandata officij nostri norma, non virium nostrarum mensura: & cùm illa benè agendi impotentia sit malum ἐπίσπαστον, eo ipso culpabilis est & digna pœnâ.

10. *Deus ergo debebat dare Gratiam in statu Innocentiæ, quandoquidem nec Angelum nec primum hominem aliter creare poterat?*

Ad id non tenebatur ullo intuitu meritorum Creaturæ quæ nondum erat & ex consequenti nullum habebat meritum: Sed quemadmodum non poterat facere corpus integrum, quod omnes suas partes non haberet, ita non potest creaturam intellectualem ex ordine facere quin illi suam Gratiam largiatur.

† *Sed quemadmodum*] Quid quod non poterat homo creari, quin crearetur ad imaginem Dei, aliàs homo non futurus; nec donari imagine Dei, quin justitiâ & sanctitate ornaretur? Adeo frustra sunt Patroni puræ naturæ, ut suprà monui. Porrò quod debitam dicimus Angelo & Homini dum crearentur justitiam originalem, benè explicatur ab Authore: Nam debitum quandoque est μονοπλευρὸν & impropriè dictum, quod se habet tantum ex parte præstantis vel promittentis, & in illius fide, aut constantia, aut veritate, aut sapientia & natura situm est. Ita vulgò dicitur quod omne promissum transeat in debitum. Ita Deus debet semper facere quod est optimum & quod convenit illius rei naturæ quam intendit, ne videatur simul idem velle & nolle. Hoc sensu extensio ac divisibilitas debentur corpori, & rei integræ omnes illius partes, & homi-


ni ubi immediatè conditur ab eo qui nequit esse author peccati, sana ratio & imago Dei quæ in justitia & sanctitate consistit: Quandoque vero debitum est διπλευρὸν propriè & accuratè, quod ita se tenet ex parte debitoris, ut fundetur in aliquo reali ex parte creditoris: Ita emptor debet venditori pretium rei quam sub hoc pretio alienavit, & transtulit in illius dominium: Ita Pater-familiàs debet operarijs quos adhibuit pactam cum illis mercedem: Ita merces propriè dicta & meritum sunt relata quæ se mutuo ponunt & tollunt. Atque hoc sensu Gratia Christi sic est indebita, ut omne meritum excludat Rom: IV, 4. XI, 6. unde illud Augustini *in Ps. 31. Si vis esse alienus à Gratia jacta merita tua*, & istud Bernardi *Serm. 67. in Cant. Non est quò Gratia intret, ubi jam Meritum occupavit; deest Gratiæ quicquid Meritis deputas.*

Catechismi

Caput II.

DE GRATIA JESU CHRISTI.

II. *Quid eſt Gratia Ieſu Chriſti?*



St Gratia interior, quæ cor occupat, duritiem ejus frangit, & abrumpit vincula, illi victoriam confert de ſuis affectibus, ejus ſanat vulnera, & tandem facit ut velit & operetur quod bonum eſt, ſecundum beneplacitum Dei.

† *Interior, quæ cor*] Etenim benè ſupponitur hîc Gratiam aliam eſſe externam, quæ formaliter loquendo nihil ponit in voluntate creata, & elucet in publico Verbi miniſterio, ſuaſionibus, minis, promiſſis, correptionibus, ac ſimilibus; aliam internam, immediatè profluentem à Deo, & per quam intus cor alloquitur, intellectum illuminat, flectit voluntatem, affectus ſubigit, ut homo fidei ſemen & fructũ efficaciter recipiat: De hac diſtinctione agit Auguſtinus *de Sp. & lit. cap. 34.* Proſper *contra Collatorem cap. 14.* & ex utroq; Didacus Aluarez Archiepiſcopus Tranenſis, *in proœmio* operis ſui *de Auxilijs,* & *diſp. 112. §. 4.*

Et tandem facit] Hoc docet Scriptura evidenter Phil: II, 13. & accuratè explicat Didacus Aluarez modò citatus *Diſp. ult. de Aux. propoſ. 15.* quæ ſic habet; *Auxilium efficax prævenientis ſeu præoperantis Gratiæ, movet liberum arbitrium hominis ad benè operandum, non ſolum ſuadendo, alliciendo, invitando, aut aliter etiam interiùs moraliter attrahendo, ſed etiam efficaciter & verè efficiendo, ut ipſum arbitrium à Deo motum & excitatum, ſe determinet ad benè operandum & operetur.* Huc pertinet *canon 9.* Concilij Arauſicani II. *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur operatur;* Huc ſpectat quoque illud Auguſtini *de grat. & lib. arb. cap 16. Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis;* & iſtud *lib. 1. contra duas epiſt. Pel. cap. 19. Trahitur miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipſis ho-*

minum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.

12. *Est-ne huic Gratiæ proprium efficere ut impleamus Legem?*

Ita: Nam in ea infirmitate in quam per peccatum incidimus, non sufficit Deum nobis dare posse implere legem si velimus, sed oportet ipsum efficere ut eam impleamus, faciendo ut velimus, auxilio potenti victricis Gratiæ. *S. Aug. lib. de corr. & gr. cap. 12.*

† *Ita; Nam*] Hoc enim pertinet ad illud discrimen Adjutorij *sine quo non*, & Adjutorij *quo*, quod suprà retulimus. Porrò cum hic agit Author de Gratia implendi, sive *perficiendi* legem, nam usus est Gallicè verbo *accomplir*, id non est intelligendum Legaliter; quasi fingat quemquam pium in hac vita ad perfectionem, impeccantiam & *ἀναμαρτησίαν* Pelagianam, quam & ipsi Jansenitæ in Jesuitis damnant, posse conscendere, nullo eorum omisso quæ Lege præcipiuntur, nullo commisso eorum quæ eadem prohibentur; Nam & Author contrarium docebit infra *Erot.* 17. & proculdubio meminerat à Concilio Milevitano, ita *Can.* 5. definitum fuisse *quod*, ut est Canonis lemma, *Gratia Dei præstet ut lex impleatur, non sicut ait Pelagius facilè, quasi sine Gratia Dei possit*, ut *Canonibus* 6. 7. 8. nihilominus statuat, *Quod juxta sententiam Iohannis Euangelistæ, Nemo sit qui esse possit sine peccato; Quod unicuique etiam justo*, (idque etiam *pro seipso*, non duntaxat *pro alijs qui sunt in populo peccatores*) *dicere oporteat, Dimitte nobis debita nostra*; & *Quod à sanctis veraciter* (non *humiliter* tantum) id quotidie jure dicatur. Hinc Augustinus *de Civit. Dei, lib. 19. cap. 27. Iustitia nostra quamvis vera sit, propter veri boni finem ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potius remissione peccatorum constet, quam perfectione virtutum:* Sed Author est hîc intelligendus de impletione Legis sensu Euangelico, magis adfectiva quam perfectiva, quæ potius est in voto quam in re, in conatu quam in effectu, & si quid habet perfectionis, id magis est partium quam graduum, magis quoad principium & finem operandi, juxta Paulum 1. Tim:1,5. quam quoad integram operum texturam & substantiam.

substantiam. Ideo Adrianus de Trajecto postea Pontifex Maximus *in 4. sent.* referente & laudante Cassandro Coloniensi Theologo *in Consult. sua ad art. 6. Conf. Aug.* sic loquitur; *Sunt* (inquit) *merita nostra veluti baculus arundineus cui dum quis innixus fuerit, confringit & perforat manum innitentis; & quasi pannus menstruatæ sunt omnes justitiæ nostræ; Iugiter igitur super pannum bonæ vitæ quem justitiæ operibus teximus, stillamus saniem diversorum criminum* &c.

13. *Est-ne hæc Gratia semper efficax?*

Ita. Semper enim producit effectum quem Deus per illam vult producere.

14. *Ergo non potest hæc Gratia rejici?*

Posset quis eam rejicere, si vellet: Sed proprius effectus hujus Gratiæ est nobis adimere voluntatem eam rejiciendi, adeoque impediendi ne hæc potentia in actum transeat. Quandoque etiam ei resistitur; sed cum victrix sit hæc Gratia, tandem nostram resistentiam superat.

† *Ita: Semper*] Sic corruit inepta & importuna Jesuitarum & aliorum Gratiæ distinctio in Sufficientem & Efficacem, circa quam hærent mille difficultatibus impliciti, dum anxiè inquirunt quid auxilium efficax addat ad sufficiens: Sanè sufficiens Gratia non erit simpliciter ad salutem, si quid ei quid adhuc adjici debeat in genere Gratiæ ut nostram salutem efficiat; nec Gratia Christi dici debebit, nisi Victrix & Liberatrix fuerit.

Posset quis] Hoc sibi volunt qui statuunt etiam positis ad agendum prærequisitis *simultatem potentiæ* ad agendum vel non agendum esse concedendam, licet non *potentiam simultatis.* Huc spectat *Propositio 19.* Aluarezij *V. S. Auxilium efficax & potentia dissentiendi simul compatiuntur & componuntur in eodem arbitrio.* Hæc potentia tamen ab alijs nonnisi remota conceditur; unde Vir Ampliss. Gilbertus Mauguin, *tomo 2. Vind. Prædest. & Gratiæ, cap. 21. Hist. & Chron. diss.* statuit eos *cum Pelagio & Iuliano* sentire, *qui libertatis essentiam ita in indifferentia & æquilibrio constituunt, ut asserant voluntatem eo ipso tempore quo peccat potestatem (proximam)*

ximam) habere recedendi à malo & faciendi bonum. Tum illud, *Si,* est conditionatum quod nihil ponit in esse, maximè quoniam *in sensu composito*, & positâ gratiâ efficaci, tam impossibile sit hominem velle eam abjicere, quam necesse est illam voluntatem ipsam regere, in obsequium Dei determinare & flectere, ac, ut loquitur Augustinus *de corrept. & grat. cap. 12. indeclinabiliter & inseparabiliter* agere. Porrò non est quod Universalis Gratię Patroni suum hinc εὕρημα constabiliant, quo statuunt datum omnibus posse credere si velint, licet ut velint non omnibus detur: Nam potentia ad oppositum, quæ censetur remanere positâ Gratiâ efficaci, videtur esse de interna & intrinseca constitutione voluntatis, quam Gratia non debet abolere; Sed potentia credendi per Gratiam universalem, est juxta hos, beneficium supernaturale & adventitium, quod tamen planè frustraneum censeri debet: Quid enim prodesset hominibus posse credere si vellent, quùm nunquam id ipsum ex seipsis velle possint?

Quandoque etiam] Ad tempus scilicet, & quoad ejus particulares quasdam inspirationes & motiones; Sic tamen ut tandem bona causa triumphet, & in captivitatem redigatur omnis cogitatio nostra ad obediendum Christo 2. Cor: x, 5. Ita humor peccans ad tempus resistit medicamento cathartico, quod illi expurgando & expugnando destinavit Medicus: attamen eum tandem domat & educit.

15. *An igitur hæc Gratia nos semper convertit?*

Non; Licet enim semper aliquem producat effectum, non tamen semper producit perfectam conversionem: prout Medicina tempestivè propinata in morbo vehementi non semper sanat ægrum, quoniam resistit ipse morbus; Non desinit tamen illi prodesse, quoniam eum disponit ad sanitatem, imminutâ vi morbi. Sic quamvis Gratia non semper convertat, non ideo tamen desinit semper aliquem bonum effectum producere, Concupiscentiam imminuendo & animam præparando ad perfectam conversionem.

16. *Quando-nam ergo convertit Gratia?*

Quùm Cupiditate fortior est; quùm ex corde revellit prædominantem

minantem amorem creaturæ; quùm efficit ut Dei amor fiat vehementior & potentior noſtrorum affectuum; uno verbo, quùm facit ut Creatorem præferamus Creaturæ, non ſolum in aliqua particulari actione, ſed in ipſis voluntatis penetralibus & univerſo regimine vitæ noſtræ.

† *Non tamen ſemper*] Non quod tandem ſemper & infallibiliter eam non conficiat, ſed quod non ſemper ea ſit vis & efficacia motionum ſuarum priorum, ut ultrò & planè peccator ſe illis ſubjiciat: Ea enim eſt cordium noſtrorum durities, ut repetitis ictibus, magis quam rupes deſerti, debeant hac Dei virgâ percuti, priuſquam ex illis plenioris reſipiſcentiæ & converſionis aquæ educantur.

Animam præparando] Si qui igitur actus antecedanei ſunt admittendi ad converſionem, de quibus & nos aliquid monemus in noſtro *Syſtemate Theol. loco. xi. §. 15.* ſi quæ præviæ ad fidem & reſipiſcentiam ſalutarem dantur diſpoſitiones in nonnullis, illæ nec arbitrij humani viribus ſunt adſcribendæ, nec debent referri ad *merita de congruo* Jeſuitarum, quæ profligavi contra Tirinum *tom. 2. Theol. Elencht. cont. 16. n. 2.* ſed tribui debent ſpeciali Dei Gratiæ ſuum opus inchoanti; prout Sol incipit in diluculo radios quoſdam ſpargere ſupra Horizontem noſtrum, antequam ortus ſit vel illum ſtringat. Non ergo Gratia conceditur uni præ alijs quod ex ſeſe meliùs ſit diſpoſitus ad illam recipiendam; Univerſalis eſt è contrario omnium ineptitudo, indice Paulo 2. Cor: 11, 5. Sed ſi quis videatur meliùs diſpoſitus quam alij, id totum eſt adſcribendum Gratiæ diſcriminanti, primam ſuam efficaciam ſic explicanti, ut gradatim rem totam perficiat: Sunt enim dona Dei & ipſius vocatio ἀμεταμέλητα Rom: xi, 29. Unde Paulus Phil: 1, 6. *Perſuaſum*, inquit, *habeo fore ut qui bonum opus in vobis incœpit, perficiat uſque ad diem Ieſu Chriſti.*

Quùm cupiditate] Nempe primò converſio & regeneratio poteſt conſiderari, vel *inchoativè* & *in fieri*, vel *completivè* & in *facto eſſe.* Prioris ordinis cenſeri poteſt ea quæ Authori dicitur *non perfecta converſio*; Poſterioris illa quæ hoc *Erotemate* 16. tam graphicè deſcribitur. Sic etiam Apoſtolus uno verbo ad eam exigit mortificationem veteris hominis, & vivificationem novi. Præterea hæc omnia quæ in converſione per Gratiam ab Authore requiruntur, conveniunt verè pijs,

rè pijs qui carnem crucifixerunt cum ſuis cupiditatibus, 1. Quoad perfectionem partium, licet non graduum; 2. Quoad habitum virtutum Theologicarum & Moralium, ſed non quoad omnes & ſingulos ſuos actus perſonales, quaſi in nullo amplius impingerent; 3. Studio ſaltem & affectu in hac via, licet res ipſa & plenus effectus ad patriam duntaxat pertineat. Cæterùm quæ hic deſcribitur Converſio, illud Gratiæ beneficium notat, quod in Scholis & Eccleſijs noſtris exprimimus nomine *Sanctificationis*, quæ à noſtra Juſtificatione per fidem in Jeſum Chriſtum ſic debet diſtingui, ut illi tamen inſeparabiliter adhæreat, & eam neceſſariò ac infallibiliter conſequatur. Verum cùm necdum iſti Patroni Gratiæ in Communione Romana ſatis hæc diſtinguere vel auſi fuerint vel didicerint, aut ſint aſſequuti propriam rationem noſtræ Juſtificationis gratuitæ coram Deo per fidem in Jeſum Chriſtum, minus mirum eſt quod tria diſtincta effecta Gratiæ efficacis, nempe Vocationem, Juſtificationem & Sanctificationem, hîc quadantenus ſynecdochicè per unam Sanctificationem ſub nomine Converſionis voluerint exprimere.

17. Non-ne poteſt Concupiſcentia totaliter deſtrui in hac vita?

Non; Ea quidem poteſt imminui ac debilitari, ſed non annihilari, & omnis noſter progreſſus in pietate conſiſtit in imminuendo pondere Cupiditatis, ad corroborandum pondus Charitatis, & amorem Dei ſuper ruinis amoris noſtri conſtabiliendum. Quùm autem ille amor noſtri ſemper habitet, licet non ſemper regnet, in nobis, Charitas nondum perfecta eſt, nec poteſt eſſe quin hæc mors in victoria abſorbeatur, & novus homo annihilaverit veterem; quod demum in cœlo obtinebit.

‡ *Eam quidem poſſumus*] His paucis verbis multi errores Jeſuitici & Papiſtici rejiciuntur. Hinc enim conſtat 1. Graviter errare Tirinum nobis refutatum *tom. 2. Antitirini, cont. 14. n. 16. & 18.* cum ſtatuit, fretus etiam authoritate Concilij ſui Tridentini *ſeſſ. 6. can. 11. & 18. eum qui eſt in ſtatu Gratiæ, poſſe omnia præcepta implere, omnia nova*

peccata

peccata mortalia vitare, (imò & omnia *venialia*, licet non tamdiu,) *quasuis tentationes superare & ita perseverare usque ad finem*; quod nihil aliud est quam in statu viæ & imperfectionis, Angelicam & Patriæ perfectionem possibilem ineptè comminisci. II. Non admittendam meritorum, uti ea malè vocantur, *condignitatem*, quam idem Tirinus cum omnibus Pontificijs propugnat perperam *Cont. 16. n. 1. & 5.* Siquidem semper imperfecta nostra charitas nunquam potest esse *condigna* gloriæ perfectæ quæ in nobis est revelanda Rom: VIII, 18. III. Nunquam eos de operibus *supererogationis* & *perfectionis Euangelicæ*, per quæ plus boni præstent quam tenebantur, gloriaturos, qui suæ Charitatis quæ summa Legis est, imperfectionem & defectum seriò agnoverint. IV. Concupiscentiam quæ est ex peccato & inclinat ad peccatum & ipsa propriè peccatum est, ut in se disertis verbis agnoscit Apostolus Rom: VII, 7. transire quidem *reatu* in baptizatis & fidelibus, ut postea videbimus amplius, sed tamen manere *actu*, ut docet Augustinus *lib. 1. de nupt. & conc. cap. 27.* adeoque tam benè nos statuere cum Augustino eodem *ibid. cap. 25. dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur*, quam vitiosè & præpostere Concilium Tridentinum definivit *sess. 5. can. 5.* in Baptismate *tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet*, & eos perculit anathemate qui dixerint illud *tantum* baptisatis *non imputari.*

Semper habitet] Id de se profitetur Paulus Rom: VII, 18. Et inde distinguunt Theologi inter peccatum *habitans* & *regnans*; quorum illud est fidelium & regenitorum, hoc vero eorum demum qui Gratiâ Dei sunt destituti. Hæc enim adveniens Regiam illi quâ ante grassabatur authoritatem aufert.

Quin hæc mors] Ideo Apostolus ut-ut regenitus, sub illius suæ corruptionis residuæ onere gemens exclamabat Rom: VII, 24. *Ærumnosus ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis?*

18. *Non-ne victoria quam Gratia refert de Voluntate, ejus lædit libertatem?*

Non; Cùm enim Deus interior sit voluntati nostræ quam ipsa sibi, cognoscens perfectè ejus naturam, & res quaslibet gubernans conformiter earum naturæ, efficit ut voluntas ceu libera agat

ra agat liberè; prout movens causam naturalem ad agendum, facit eam naturaliter agere.

19. *Quomodo non leditur libertas?*

1. Nunquam liberior est voluntas quam dum agit, quandoquidem actio est exercitium suæ libertatis; Deus autem facit ut agat, siquidem eam velle facit. 2. Ut subditus nunquam est liberior, quam cùm magis subest legitimo suo Principi; sic nunquam liberior est voluntas quam cum Deo subest. 3. Ut captivo non aufertur libertas cum ejus vincula franguntur & ipse ex carcere educitur; ita non aufertur sed confertur libertas voluntati, cùm exsolvitur vinculis concupiscentiæ & ex ista servitute liberatur.

‡ *Cum enim Deus*] Ita videmus hîc I. Jesuitas & assertores Scientiæ mediæ, omnesque hodiernos Pelagianismi aut Semipelagianismi sectatores, qui dum *homines volunt facere liberos faciunt sacrilegos*, ut loquitur de Cicerone Augustinus *lib. 5. de Civit. Dei cap. 9.* frustra velle subducere voluntatem humanam Dei regimini & determinationi, quo voluntas maneat libera & illibata; Nam Deus *omnia quæ creavit sic administrat, ut ipsa suos etiam exercere & agere proprios motus sinat*, inquit Augustinus *lib. 7, de Civit. Dei cap. 30.* II. Non quamlibet necessitatem repugnare intrinsecæ libertati voluntatis, sed propriè & maximè coactionem; ut etiam sensit Lombardus *lib. 2. sentent. dist. 25. lit. I* contra quam operosè disputat Bellarminus *lib. 3. de gr. & lib. arb. cap. 4. 5. & 6.* requiri ad liberum arbitrium libertatem non solum à coactione, sed etiam à necessitate omni. III. Errare graviter Bellarminum, dum *lib. 4. de gr. & lib. arb. cap. 6.* insignis temeritatis notam nostris inurit, quod *nomen liberi arbitrij in Servi arbitrij mutaverint*, quandoquidem illa servitus arbitrij sub peccato, hîc etiam meritò agnoscitur, tum ex usu Scripturæ, Joh: VIII, 34. Rom: VI, 20. 2. Pet: II, 19. tum ex sensu Antiquitatis Catholicæ; nam Augustinus *lib. 1. Retract. cap. 9.* sic loquitur; *Voluntas ipsa nisi Dei Gratiâ liberetur à servitute quâ facta est serva peccati, & ut vitia superet adjuvetur, rectè piéque vivi à mortalibus non potest.* Ita nempe hic noster Author, ijsdem quibus

dem quibus nostri nixus principijs, longè expeditiorem & faciliorem rationem proponit Concordiæ Gratiæ & Liberi arbitrij, quam Scientiæ Mediæ assertores & quotquot Voluntatis humanæ Independentiam à Deo mordicùs audent propugnare; cùm tandem plerique ex illis, qui receptam hactenus inter suos sententiam tueri volunt, de ratione illius Concordiæ reperienda in hac vita cum Cajetano omninò desperent. Hinc M. Antonius de Dominis, *lib. 7. de Rep. Eccl. cap. 11. n. 10.* has omnes Controversias *indefinibiles* esse pronunciat, eo magis quod in Pelagianismi & Semipelagianismi virus longè propensior est.

20. *Lex, prædicatio verbi, pulcher ordo universi, nonne sunt Gratiæ sufficientes ad nos convertendum?*

Non: Nam hæ Gratiæ merè sunt externæ: & solos feriunt sensus, aut ad summum intellectum replent, sed cor ipsum non attingunt. Attamen cum Deo placet illis conjungere Gratiam internam, eas adhibet ceu eximia media ad expugnandam nostram concupiscentiam, & superanda omnia obstacula quæ nostram Conversionem remorantur.

† *Non; Nam hæ*] Optimo jure hæc observantur, ne vel Gratiæ Universalitatem ex istorum beneficiorum qualicunque extensione colligamus; vel, ut plerique ingratorum hujus ævi perperam faciunt, ex sufficientia secundum quid mediorum externorum, qualis celebratur Esaiæ v, 4. Gratiam simpliciter sufficientem inferamus; vel efficaciam Gratiæ ex natura mediorum in quibus & per quæ se exerit æstimantes, meram suasionem moralem in ea concipiamus. Porrò quod *ordini universi* suus conceditur locus inter media externa ad conversionem nostram, id debet intelligi de illo conjunctim cum *lege & prædicatione verbi*; quoniam aliàs voce Creaturarum & libro naturæ ad Deum Creatorem evocamur, non vero ad Deum Redemptorem: nec alij rei sufficit τὸ γνωστὸν Dei naturale quam hominum inexcusabilitati Rom: 1, 20. Fides vero est *ex auditu* verbi Divini Rom: x, 17. quod propriè loquendo solum est Potentia Dei ad salutem omni credenti Rom: 1, 16.

Caput III.

DE LEGE.

21. *Quomodo vocas eam Legem quam Dominus noster Iesus Christus venit allatum in mundum?*

Hæc duo præcipuè sortitur nomina, Legis Novæ, & Legis Gratiæ.

22. *Quare eam vocas Legem Novam?*

Ad eam distinguendam à Veteri Lege diu ante Israelitis latæ ministerio Mosis servi Dei. Dicitur quoque Lex Nova, quoniam continet Gratiam cujus proprium nos renovare in ea justitia & sanctitate quam amisimus.

23. *Quare eam vocas Legem Gratiæ?*

Quia confert Gratiam quam Vetus promittebat.

† *Hæc duo*] Quamvis notiones & termini quibus Author suos hic conceptus exprimit, aliquid videantur in Scholis nostris sonare incommodi & peregrini, dum nempe studet loqui cum vulgo suæ communionis, sed sapere cum melioribus; attamen in reipsa nihil est quod commodè non possit explicari; si duorum meminerimus; Primò quidem nusquam Fœdus Gratiæ vel Euangelium, vocari in Scripturis *Legem Novam* vel *Legem Gratiæ*; cùm è contrario novitas Spiritus literæ Legis, & frequentissimè Legi Gratia opponatur; sed tamen Fœdus Euangelicum & Gratiæ, appellari sæpè Fœdus & Tementum Novum; quandoque etiam *perfectam Legem libertatis* Jacobi 1, 25. *Legem Spiritus vitæ* Rom: VIII, 2. *Legem fidei* Rom: III, 27. Non est igitur cur per Legem Novam & Gratiæ, ex stylo Scholasticorum & Veterum, id ipsum non intelligamus quod aliàs in Scripturis Euangelium & Novum fœdus opposite ad Legem & Vetus Testamentum solet appellari. Modò enim vitemus Legis & Euangelij confusionem, quæ judice Luthero, fuit causa summæ corruptionis

tionis in doctrina Gratiæ & Justificationis, satis erit. Secundò Gratiæ & Novi fœderis ad Legem Veterem sive Vetus Testamentum, duplicem oppositionem esse distinguendam; Alteram absolutam inter Legem fidei & Legem operum, quæ constituebat prius illud fœdus quod cum Adamo pactum, per peccatum fuit violatum, & sub quo quotquot sunt, sunt sub maledictione; Alteram secundum quid, inter Oeconomiam Euangelicam quæ sequunta est incarnationem Christi, & Mosaicam sive Legalem quæ eam præcesserat; Etenim cum hæc Oeconomia Mosaica bifrons quadantenus fuerit & duplicem habuerit χέσιν, alteram ad Legem operum, quatenus illi urgendæ ad peccatorum convictionem & confusionem destinabatur; alteram ad Euangelium Gratiæ, quatenus erat pædagogus ad Christum, eumque variè adumbrabat; hinc fit quod ex usu Scripturæ aliter & aliter de Lege Veteri loquendum sit. His præsuppositis quæ fusiùs ex Scripturis possent deduci, nisi studeremus brevitati, Authoris mens in ijs quæ sequuntur faciliùs innotescet.

Ad eam distinguendam] Distinguitur autem à Lege Veteri, sive Mosis, duplici illo quo dixi respectu, & quatenus Lex Mosis describebat & urgebat fœdus operum, quod alijs fœdus naturæ dicitur, quo homines peccati & maledictionis convincerentur: & quatenus Christum venturum adumbrabat; Hinc est quod uni *legi per Mosem* latæ, hæc duo opponuntur, *Gratia* & *Veritas* per Jesum Christum Joh: I, 17. Nam per Gratiam Christi, justitiam & vitam obtinemus, quam per opera & Legem operum consequi impossibile erat Rom: VIII, 3. Atque huc pertinet illud Augustini *in Psal. 118. conc. 16. Quod Lex imperat, fides impetrat.* Fide enim in Christum & gratuitâ nostri justificatione per illius sanguinem, postulatum & δικαίωμα Legis completur in nobis Rom: VIII, 4. In Christo quoque umbrarum & figurarum Legalium Veritatem & corpus consequimur Col: II, 17.

Dicitur quoque] Et id convenit fœderi Gratiæ opposite ad fœdus operum, quo per Adamum violato, & *Iustitiâ* apud Deum & *Sanctitate* omni in nobis ipsis, excideramus; Nam in Christo Liberatore per Gratiæ fœdus consequimur I. Plenam quâ coram Deo nitamur justitiam; quę dicitur *justitia Dei, non quâ justus est*, inquit Augustinus *de Sp. & lit. cap. 8. sed quâ induit hominem quùm justificat impium; justitia Dei per fidem Iesu Christi, hoc est per fidem quâ creditur in Christum.* Eam

autem *Fidei justitiam bona opera non præcesserunt, quam bona opera consequuntur*, inquit idem *in Psal. 30.* Etenim, ut ait Bernardus *de sepulchro ad milites templi, Mors in Christi morte fugatur & Christi Iustitia nobis imputatur.* Quin, ut idem habet *epist. 190. Assignata est homini aliena justitia qui caruit suâ; Homo qui debuit, homo qui soluit; Satisfactio unius omnibus imputatur, sicut omnium peccata ille unus portavit.* 2. Satisfactionis & Regenerationis Spiritum, cujus leni quidem sed efficaci operatione renovamur in spem vivam ad imaginem Dei, ac nitor ille qui per peccatum nobis perierat, paulatim reparatur.

Quia confert] Christus confert Gratiam 1. quâ carebat Fœdus operum, etiam dum vigeret: Suprà enim vidimus multo ampliora beneficia nos in Christo recuperare, quam amiseramus in Adamo: hic nobis domum lateritiam evertit; eam nobis ille restituit marmoream. 2. Quâ idem operum fœdus in se omninò destituebatur post primas ejus tabulas fractas per peccatum, & cum in literam occidentem Lex abierat. 3. Quam promittebat & adumbrabat œconomia Mosaica ut Christum significabat & σχετικῶς ipsum respiciebat. Etenim certum est Legem operum in suo formali non promisisse Gratiam Christi, cùm unica hæc esset illius sanctio, *Hoc fac & vives*, Item, *Si vis ingredi in vitam serva mandata*, Item, *Maledictus qui non permanserit in omnibus ijs quæ scripta sunt in libro legis ut ea faciat.*

24. *Quæ-nam sunt præcipuæ differentiæ inter Legem Veterem & Novam?*

Tantum est discriminis inter Legem Veterem & Novam, quantum interest differentiæ inter corpus exanime & corpus animæ suæ conjunctum; inter umbras & lucem; inter nubes & solem; inter promittentem & dantem: Cùm Lex vetus nihil aliud fuerit quam corpus, cujus nova spiritus est; & umbræ quas lux Euangelij erat dissipatura; & nebula quæ nobis occultabat Christum qui venit datum toti mundo, quod Lex nonnisi solis Judæis promittere videbatur.

‡ *Tantum est discriminis*] Quamvis id per se parum faciat ad quæ-

ſtiones de Gratia & libero arbitrio, tamen rem omnem paucis explicabo; Lex vetus dicitur *corpus exanime*, quod Lex operum poſt peccatum, nullam habeat Spiritus Sancti adjunctam efficaciam, per quam in obſequium Deo debitum flectamur; Hæc enim efficacia ad fœdus Gratiæ & Euangelium pertinet, uti iquet ex 2. Cor: III, 6. 7. 8. Huc iſtud ſpectat Auguſtini *de Sp. & lit. cap. 20. Propter Veteris hominis noxam quæ per literam jubentem & minantem minimè ſanabatur, dicitur illud Teſtamentum Vetus, hoc autem Novum, propter novitatem Spiritus quæ hominem novum ſanat à vitio vetuſtatis*; quod deinceps probat loco celebri Jerem: XXXI, 32. 33. 34. Oeconomia vero Moſaica ac Levitica, *umbris* & *nebulæ* benè confertur, comparatè ad Euangelij lucem; quo ſenſu etiam Legi cæremoniarum σκία, Euangelio εἰκὼν, ideſt expreſſior imago tribuitur Heb: X, 1. utraque tamen, ſi fides Chryſoſtomo & Theophylacto, oppoſitè ad ἀλήθειαν quæ in cœlo obtinebit: Ac inde factum quod ſole juſtitiæ Chriſto in ſuo meridiano conſtituto iſtæ legales umbræ evanuerint, & diſcuſſæ fuerint hæ nubes cùm exclamavit in cruce *Conſummatum eſt*; unde & ipſum Templi καταπέτασμα diſciſſum fuit à ſummo ad imum, ut nubibus cæremoniarum diſcuſſis, & disjecto pariete intergerino, *myſteria publicarentur, quæ uſque ad adventum Domini rationabiliter fuerant occultata*, inquit Origenes *in Catena Thomæ, ad Matt. 27.* Interea tamen fideles ſub V. T. ſolis radios & influxus per has nubes percipiebant, licet refractos, & in illis ſuis umbris, Mathematicorum inſtar, contemplabantur fide corpus ipſum ac bonorum cœleſtium magnitudinem metiebantur. 2. Prout cæremoniæ Veteres Legi operum ſubſerviebant & erant per ſuam σχέσιν legalem comparatæ ad illius δικαίωμα urgendum. Eò enim reſpectu magis inſerviebant occultando quam manifeſtando Chriſto; prout parabolæ quibus utebatur Chriſtus duplicem habebant uſum, ut janua in ſuis cardinibus, claudendi Judæis & aperiendi diſcipulis myſteria regni cœlorum Matth: XIII, 10. 11.

25. *Nullam-ne Lex Vetus Gratiam conſerebat quæ animam ſanctificare poſſet?*

Nullam illa Lex conferebat; Deus tamen quibuſdam ſub ea Lege agentibus talem conferebat Gratiam, non vi illius Legis, ſed vi

ſed vi Legis novæ ad quam pertinebant; Sancti qui illo erant tempore, reſpiciebant ad Jeſum Chriſtum venturum, ut nunc nos ad Jeſum Chriſtum qui venit, & ſperantes ſuam per ipſum Redemptionem ejus meritum ſuſcipiebant, & cùm Judæi nomine tenus eſſent, revera erant Chriſtiani; utpote quùm fides in Jeſum Chriſtum ſemper fuerit neceſſaria ad ſalutem.

† *Nullam illa Lex*] Id tam de Lege operum verum eſt, quam de Lege Cæremoniarum, prout illi ancillabatur & τῷ δικαιώματι ejus inculcando erat deſtinata.

Sancti qui illo] Primò igitur non fuerunt illi Veteres deſtituti promiſſionibus ſpiritualibus, ut nonnulli Scholaſtici videntur ſtatuere, qui docent Legem Moſaicam ab Euangelica differre *reſpectu promiſſorum*, quod nonniſi *bona temporalia* Lex promitteret, Euangelica vero *vitam æternam*, ut aſſerit Puteanus Auguſtinianus Monachus in *1.2. Thomæ, q. 97. dubit. 2.* Quem errorem ab Anabaptiſtis & Socinianis adoptatum, contra Volkelium refutavimus *lib. 2. de vera Relig. cap. 19.* Secundò idem debuit eſſe effectus fructusque fidei ſuæ in Chriſtum exhibendum quæ noſtræ in Chriſtum exhibitum; Ut primùm fide in ſuis Sacramentis eandem *eſcam ſpiritualem* nobiſcum manducarint, licet *corporalem alteram*, inquit Auguſtinus *tract. 26. in Ioh.* Nam quotquot in manna Chriſtum intellexerunt, Chriſtum etiam manducarunt; non ore utique, ut nec nos, ſed fide, juxta illud Auguſtini quod etiam Gratianus retulit in Decretum ſuum, *diſt. 2. de conſec. can. 47. Vt quid paras dentes & ventrem, Crede & manducaſti; Credere enim in eum, hoc eſt panem vivum manducare; Qui credit in eum manducat eum; inviſibiliter ſaginatur, quia inviſibiliter renaſcitur*; Deinde cum ſigno fidei decedentes, eo ipſo finem fidei ſuæ reportarint nempe ſalutem æternam 1. Pet: 1, 9. non vero fuerint detruſi in neſcio quos ſubterraneos & perobſcuros carceres, in quibus per multa ſæcula captivi attinerentur; dicente tam expreſſè Auguſtino *lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 28. Non eſt ullus ulli medius locus, ut poſſit eſſe niſi cum diabolo, qui non eſt cum Chriſto.*

Ejus meritum] Igitur ut omnis noſtra Redemptio nititur ſolius Chriſti merito, ita in illius ſui meriti ſuſceptione & apprehenſione,

præcipuæ

præcipua & potissima fidei salvificæ operatio sita est: Unde liquet quo sensu fide justificemur, nempe quatenus verâ, vivâ & salvificâ fide Christi meritum nobis gratuitò imputatum & remissionem peccatorum in ipsius sanguine suscipimus & apprehendimus, nobisque salutariter applicamus: Sic enim Hilarius *de paralytico* in *Catena Thomæ ad 9. Matth.* loquitur, *Huic remittuntur animæ peccata, quæ lex laxare non poterat; fides enim sola justificat.*

Revera erant Christiani] Quia Christus idem heri, hodie & in æternum Heb: XIII, 8. Benè enim monet Gregorius *hom. 17. super Ezech.* tam ipsos qui *præibant* quam illos qui *sequebantur*, haud aliter *salutem* fuisse consequutos, quam clamando *Hozanna filio David.*

Utpote quùm fides] Verè enim Irenæus *lib. 3. cap. 21. Ignorantes eum qui ex Virgine est Immanuel, privantur munere ejus qui est vita æterna*: Nititur hoc axioma dicto Petri Act: IV, 12. ac jugulum petit erroris eorum, qui statuerunt in communione Romana salutem possibilem absque fide in Christum ejusque cognitione; De quibus videatur Prideaux *Lect. Oxon. 8.* & ad quos accessisse D. Amyraldum referunt & monent, D. Molinæus è nostris qui improbat *in Elucidatione Contr. Salmur. Sect. 7.* & in *Apologia pro Dei Miseric. & Sap. lib. 2. cap. 9. & 10.* è Remonstrantibus Curcellæus qui propugnat in suo *Iudicio de doct. Amyraldi & Test. cap. 13.* Sed cum unusquisque sit interpres suorum verborum, nolim Viro illi Celeberrimo, utut quandoque incommodiùs sit loquutus, dum studet suæ ὑποθέσεως δουλεύειν, tam enormem errorem impingere, cum ipse & D. Testardus nunc ἐν ἁγίοις conceptis verbis in Synodo Nationali Alençoniensi agnoverint, *impossibile esse quemquam converti aliter quam per Dei verbum quod est semen nostræ regenerationis, vel sine cognitione aliqua Redemptionis* per Christum; & statuerint ceu extra dubium, quod *nunc sub Novo fœdere explicita cognitio Iesu Christi est adultis absolutè necessaria ad salutem*; *Anathema pronunciando cuilibet credenti aut docenti hominem posse servari aliter quam per meritum Domini nostri Iesu Christi, aut in alia religione quam Christiana.* Et sanè cum non idem gradus cognitionis Christi viguerit sub V.T. qui obtinet sub Novo, hactenus quidem magis explicita fides in Christum requiritur ad salutem sub N. T. quam sub Veteri; veruntamen eâ omninò non potuerunt carere qui olim sub Veteri ad salutem pervenerunt. Sed & cum sine illa in Christum fide, nihil boni queant homines operari

Rom:

Rom: xiv, 23. vel inde liquet quid de Virtutibus Ethnicorum sit statuendum, eas videlicet bonis operibus perperam à Jesuitis annumerari, apud Bellarminum *lib. 5. de grat. & lib. arb. cap. 4. & seqq.* Toletum *ad 15. Ioh. annot. 9.* & Tirinum *Cont: xii. n. 5. & xiii. n. 4. Absit* enim, ut loquar cum Augustino *lib. 4. contra Iul. cap. 3. ut sit in aliquo vera virtus nisi fuerit justus; absit ut sit justus verè nisi vivat ex fide;* &c. Imò ut *ibidem* idem loquitur, *Quicquid boni fit ab homine & non propter hoc fit propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.*

26. *Quid differt Spiritus Veteris Legis à Spiritu Novæ?*

Spiritus Veteris Legis erat Spiritus servitutis & metus; At Spiritus novæ est Spiritus libertatis & dilectionis. Egit Deus cum Judæis, tanquam cum mancipijs, nobiscum vero tanquam cum filijs. Ideo juxta S. Paulum, servus hæres esse nequit, sed tantum filius. Judæus quà Judæus, nihil habet juris in Regnum Dei, sed solus Christianus; Itaque ut servetur, ex servo filius debet fieri, ejusque timor mutari in amorem, ipseque per Mosem & totam Legem quasi manu duci ad Jesum Christum & novæ Legi addici.

‡ *Spiritus Veteris Legis*] Id discrimen proponitur à Paulo Rom: viii, 15. poteStque intelligi hic Spiritus Servitutis tùm absolutè & simpliciter de ijs qui sunt sub Legis maledictione; tùm comparatè & secundum quid de ijs qui sunt sub œconomiæ legalis rigidiori disciplina, prout dictum à Paulo Gal: iv, 1. *quod hæres quamdiu infans est nihil differt à servo, licet sit Dominus omnium.*

Egit Deus] Sic egit cum illis 1. Absolutè, quatenus Legis suæ δικαίωμα urgebat ac Legi Operum ancillabatur Lex Cæremoniarum: 2. Comparatè ad nos, eos sub longè duriori disciplina habendo & quasi in servitutem compingendo sub elementis mundi Gal: iii, 23. iv, 3. Nec enim tam lenem & suavem sensum suæ adoptionis ipsis indulgebat ac nobis, per Spiritum illum dilectionis *qui clamat in cordibus nostris Abba Pater, & una cum Spiritu nostro testatur nos esse filios Dei* Rom: viii, 16. Gal: iv, 16. Eph: iv, 30.

Ide!

Ideo juxta] Paulus jus hæreditatis arcessit à nostra filiatione Rom: VIII, 17. & negat hæredem futurum filium ancillæ Gal: IV, 30.

Quà Iudæus] Qui talis in litera non in Spiritu Rom: II, 29. quique ignorans Dei justitiam, propriam studet constabilire Legis operibus Rom: X, 3.

Itaque ut servetur] Hoc est, nullus etiam sub Legali œconomia fuit servatus per Legis opera & justitiam Legalem, sed solummodo per Domini nostri Jesu Christi Gratiam sicuti nos Act: XV, 11. Nihilque tota illa Oeconomia legalis cuiquam profuit ad salutem, nisi ijs qui illius pædagogiâ & operâ adducti fuerunt ad Christum, qui finis est Legis ad salutem omni credenti Gal: III, 24. Rom: X, 24. Tota hæc doctrina fusè posset confirmari ex Augustino passim, præsertim ex libro de *Spiritu & litera per totum*; sed in re perspicua & evidentibus testimonijs Scripturæ nixa, alijs testibus opus non est.

27. *Erat-ne Lex Vetus bona Lex?*

In sese bona erat, cùm haberet Deum authorem, qui mali author esse nequit; sed quod in se bonum erat, fiebat occasionaliter causa peccati; ut cibus qui in se bonus est mortem operatur si in stomachum ægrum ingestus fuerit.

‡ *In sese bona*] Hoc ipsum docet Paulus conceptis verbis Rom: VII, 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Sic nempe *nitimur in vetitum semper*; Estque concupiscentia similis calci, quæ affusâ aquâ, utut naturâ suâ ad incendium destinatâ, accenditur non restinguitur. Et hinc lux fœneratur dicto Ezechielis XX, 25. ubi Deus dicit se statuta dedisse Israelitis non bona, & jura per quæ non viverent. Nam per accidens ratione eventus non bona, erant sed lethalia; siquidem Lex nihil ἐτελείωσεν Heb: VII, 19. Quamvis etiam comparatè ad *superintroductam spem meliorem*, mala dici poterant, quia minus bona; *Melioribus Novi Testamenti praeceptis subsequentibus, praecepta bona quae rudibus data sunt non bona esse memorantur*, inquit Gregorius *Moral. lib. 28. cap. 17.*

28. *In quo consistebat difficultas illius Legis?*

In duobus; 1. In observatione præceptorum Cæremonialium quæ maximo erant numero & difficillima. 2. In eo quod Le-

gem moralem non comitabatur Lex Jesu Christi, quæ sola potest efficere ut impleatur secundum Deum & per verum Spiritum per quem impleri debet.

‡ *In duobus*] De Legis *difficultate*, sive potius *impossibilitate*, uti dicitur Paulo Rom: VIII, 3. eaque non morali & secundum quid, sed absoluta, disputavi contra Volkelium Socinianum *lib. 2. cap. ult.* Nec aliam quam totalem & absolutam impossibilitatem hîc nostrum Catechistem propugnare, patet ex ijs quæ ampliùs dicet infrà *cap. 4.* de absoluta Gratiæ necessitate, non tantum ut faciliùs, quod erat dogma Pelagij, sed simpliciter ut benè agamus.

In observatione] Nec tantum valdè difficilè fuisset, ne dicam impossibile, omnes illas minutias cæremoniales ad unguem observare in nulla impingendo, quoad operis substantiam; sed nemo potuit unquam reperiri, qui eas præstaret quoad eum modum operandi qui requirebatur: Quin illa ipsa onerosa multitudo earum in sua χίεῳ Legali, inserviebat convincendo homini suæ impotentiæ & insolvabilitatis; unde Lex Cæremonialis dicitur Paulo χειρόγραφον quod erat nobis contrarium Col: II, 14. quatenus peccatores in victimarum suarum morte, suum agnoscebant reatum, & videbantur illarum sanguine descriptam syngrapham Deo exhibere quâ se reos debendi agnoscebant & filios mortis.

In eo quod Legem] Hæc Legis operum impossibilitas in carne ex inhærente nobis corruptione enata, talis est ut nihil verè boni & Deo grati juxta Legis moralis præscriptum ab homine irregenito & Gratiâ Christi destituto proficisci queat: Quo sensu autem illud vocabulum *implendi* sumi hîc debeat diximus suprà ad *Erotema 12.* Ac sicut per Gratiam sanctificationis dirigimur in verum Dei obsequium, cujus norma nobis est Dei Lex, ita etiam per justificationem gratuitam in Christi sanguine, ejusdem Legis δικαίωμα in nobis impletur, eo quod in Christi merito & satisfactione eam consequamur justitiam plenissimam quæ Lege præscribebatur; cùm sit factus peccatum pro nobis ut essemus justitia Dei in ipso 2. Cor: v, 21.

29. *Quid movit Deum ut tam severè ageret cum hoc populo?*
Hominum illorum superbia, quæ in ipsorum corde propria-

rum

rum virium fiduciam producens, ipsis persuadebat quod ex sesipsis possent implere Legem, qualemcunque eam ferre placeret Deo. Sed ad illorum convincendam vanitatem Deus illis tulit Legem ita difficilem, ut suos morbos frequentiâ suorum lapsuum discerent & propriam infirmitatem agnoscerent; atque sese humiliando ex toto corde medicum expeterent.

† *Hominum illorum*] Id argutè dicitur, ut insinuetur Judæos, *naturaliter* Pelagianos & Molinistas sive Jesuitas fuisse: Nam etiam quam multa & hi jactent de suis viribus in Dei Lege servanda & implenda, est in propatulo: Sed tamen cùm illa jactantia & superbia vitium sit omnibus insitum & commune, uti liquet ex Paulo Rom: 1, 30. illius consilij Divini erga Judæos (quibus naturâ meliores non sumus) alia quoque ratio reddi potest, nempe quod Deus sic egerit in Fœderis sui dispensatione, ut Legis ἀκριβοδίκαιον proposuerit per œconomiam Mosaicam, priusquam per œconomiam Euangelicam Gratiæ suæ offerret solamina, quo hanc adhuc gratiorem & acceptiorem nobis redderet. Ita cum Deus Eliam voluit alloqui ventus vehemens, concussio & ignis, præcessit vocem silentio tenuem, in qua sola erat Jehova 1. Reg: XIX, 12. Et in nuptijs Cana, vinum generosius quod Christus ipse subministravit, nonnisi in fine convivij fuit exhibitum Joh: 11, 10. Id debuit esse discriminis inter Mosem famulum & totius domus Dominum Jesum Christum: Nam & sic Reges suis Ministris & Officiarijs, Justitiæ & Severitatis administrationem commendant, servato sibi Abolitionum & Gratiarum concedendarum jure. Quo illud spectat Augustini *tract. 3. in Ioh. Per servum Lex data est, reos fecit: per Imperatorem indulgentia data est, reos liberavit.* Adhæc, illâ austeritate debuit regi Ecclesia in sua infantia, ut suprà visum ex Paulo; & sic in Ecclesiæ Universalis typo & regimine voluit Deus docere quomodo regulariter agat in singulorum suorum electorum conversione, quos priùs deprimit & atterit Legis suæ terroribus & minis, dein Gratiæ suæ opobalsamo sanat, quo sic exsultent ossa quæ ipse contriverit Psal: LI, 10. Utut sit, certum est Legem non eo fine latam fuisse post peccatum ut illius operibus per nos ipsos præstitis justificaremur; sed partim ut nos peccati nostri

convinceret, partim ut nos miseros & peccatores compelleret ad Christum, eodem impetu quo feræ in Creta capræ dictamnum quærunt *quùm tergo volucres hæsêre sagittæ*, ut inhærens visceribus ferrum excutiant, & ex vulnere cæteroquin lethali convalescant; partim ut tùm ex illa existimemus quantum pro nobis præstiterit Christus, tùm ad illam sub ductu & regimine Gratiæ sanctificantis, ex gratitudinis debitæ officio vitam nostram deinceps componamus.

30. *In quo-nam Lex Nova, dulcior est Veteri?*

In eo dulcior est quòd nos liberet ab ingenti illo numero rituum & observationum exteriorum; quòd tota dilectione Dei & proximi contineatur; & quòd conferat Gratiam quam solum Lex Vetus promittebat.

† *In eo dulcior*] Hîc equidem non omnia explicitè dicuntur; Nam in eo quoque & potissimum præpollet Euangelium Christi, quod Lex sit ministerium mortis, Euangelium Spiritus & vitæ, & eam justitiam quam frustra Lex exigit à nobis, naturâ ineptis ad omne bonum, proclivibus ad omne malum, Euangelium plenam & omnibus numeris absolutam suppeditet in obedientia Christi, & Euangelio conjuncta sit efficacia Gratiæ regenerantis quâ destituitur litera Legis. Sed interea tamen vera sunt quæ hîc dicuntur: Nam & Christum ejusque Gratiam in Euangelio consequimur, quò ducebat & varijs typis adumbrabat œconomia Mosis; Et in genere morum nihil aliud exigitur à nobis sub Novo Fœdere præter eam Dei & proximi dilectionem, ad quam paulatim per Spiritum dilectionis & adoptionis præformamur; Ac manemus liberi à tot Rituum Cæremoniarumque scrupulosa observatione quæ vigebat sub œconomia Legali: Non semel enim monet Augustinus, quod Christus loco operosæ illius cæremoniarum legalium multitudinis, *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, lib. 3. de doct. Christ. cap. 9. lib. 19. contra Faust. cap. 13. in Psal. 73.* Id si benè reputaretur in Papatu, non premerentur ibi conscientiæ longè graviori jugo cæremoniarum & rituum, quam fuit Mosaicum; Pontificij enim *Ipsam religionem, quam paucissimis ac manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior*

le, abilior

lerabilior fuerit conditio Iudaeorum, qui tamen Divinis legibus non humanis subditi erant; Verba sunt Augustini *epist. 119.* quæ suæ communionis hominibus paucis ab hinc annis liberè applicavit D. Joly Canonicus Parisiensis, in eo Opusculo quod suppresso suo nomine edidit *de Reform. Horis Canon. cap. 2.* ubi fusè queritur de Rituum & Cæremoniarum operosa multitudine inter suos.

31. *Quomodo potes dicere Legem Novam esse leniorem Veteri, quandoquidem Dominus ait Regnum cœlorum esse rapiendum, & viam eam augustam esse quæ ducit ad salutem?*

Lenitas sive dulcedo Novæ Legis non consistit in eo ut possimus latam viam amplecti; cùm dixerit Dominus, Viam esse angustam, debere quemlibet seipsum abnegare, quotidie suam crucem bajulare, & omnibus ijs quæ possederit renunciare: Sed in eo hæc Lex dulcis est quòd lenit præcepta per Spiritum dilectionis & Gratiæ, quē Jesus Christus copiosè effundit in cordibus nostris.

‡ *Debere quemlibet*] Et hîc generosi isti Gratiæ Divinæ Athletæ, ex indirecto Monachorum deprimunt supercilium, & imaginaria Consilia perfectionis Euangelicæ subruunt; Si enim ad hæc quilibet ex officio tenetur, utique Præcepti erunt, non tantum Consilij; neque hæc renunciatio consistet in claustrali proprietatis abdicatione, ut fusè ostensum à Camusio Bellicensi Episcopo, quem hodie Monachorum tormentum haud immeritò dixeris, maximè in gemino suo opere Gallico, quorum alterum *de Paupertate Euangelica*, alterum *de Expropriatione Claustrali* inscribitur; sed in affectuum nostrorum à rebus hujus mundi subductione, ad quam obligantur quotquot salutis suæ sunt studiosi; quò redit Pauli monitum 1. Cor: VII, 29. 31.

Sed in eo] Et in eo quod hic notatur, quatenus per regenerationis Gratiam quoad hominem interiorem delectamur Lege Dei Rom: VIII, 22. eoque alacriùs studemus Virtuti & Pietati, quòd confidimus Deum in Christo nobis placatum debiles nostros conatus admissurum, eorumque ἡττήματα & defectus purpurâ meriti Christi contecturum; Et in eo quoque, vel maximè, quod eam justitiam & perfectionem quam Lex exigit apud Deum, in Christi satisfactione

 & obedien-

& obedientia per fidem apprehendenda & conſcientijs noſtris applicanda contra Legis terrores & minas, certiſſimè conſequamur. Sed Catechiſtes Gratiæ videtur conſultò ſilere de hoc noſtro Juſtificationis beneficio apud Deum, tùm quod voluerit potiſſimùm agere de ea Gratia ad quam nos habemus *ſubjectivè*, quæ eſt Gratia Regenerationis ſive Sanctificationis, cùm ad Gratiam juſtificantem, ideſt nobis noſtra peccata remittentem per & propter merita D. N. J. C. nonniſi *objectivè* nos habeamus; tùm quod Gratiâ vindicatâ quoad noſtram Sanctificationem, eo ipſo aſſeratur & in arce reponatur in opere Juſtificationis noſtræ coram Deo, unde tam frequens fidei & meritorum Chriſti mentio occurrit in Catechiſta. Eò ſpectat ingenioſum drama quod cuidam Franciſco Nigro Baſſanenſi tribuunt eruditi. *Liberum*, inquiebat, *arbitrium*, *Voluntatis & Rationis* filius, & Provinciæ *humanarum actionum* inter *Ethnicos* Princeps; per *Lumen naturale*, ſummæ authoritatis inter Scholaſticos *Doctorem & Profeſſorem*, in *Romanam* Eccleſiam tanquam *hoſpes honorarius*, declinante Euangelij puritate, deductum fuit; ibidemque *à Pontifice Romano Operum bonorum* & *Spiritualium* regno præfectum: Habitabat tunc temporis Romæ *heroina* opulentiſſima nomine *Gratia de congruo*. Hanc proxenetam agente *Actu elicito*, Arbitrij hujus humani *Procuratore* vaferrimo, in uxorem duxit, ex eaque ſuſcepit filiam unicam *Gratiam de condigno*, formæ tam eximiæ ut cœlicolas ipſos hac parte provocaret. Cumque diu nimium hanc regalem familiam ex fiſco & vectigali, nomine *Meriti* aluiſſet, tandem dilapſa eſt è cœlo *Gratia juſtificans* quæ aulæum complicavit, & fallaciſſimum hoc iniquitatis *myſterium*, ſub dio conſtituit. Sic enim videmus paulatim in medio Papatu revocatâ ſolidâ & conſolatoriâ Gratiæ doctrinâ, Meritorum humanorum & Juſtificationis per illa nebulas diſſipari, & viam ſterni regiam ad illam de Juſtificatione gratuita per fidem Orthodoxiam quam Proteſtantes omnes amplectuntur.

Catechiſmi

Catechiſmi Gratiæ Janſenitarum, cum Scholijs ad illum,

Caput quartum;

DE NECESSITATE ET EFFECTIS GRATIÆ.

32. *Eſt-ne Chriſti Gratia neceſſaria ad credendum?*

ITa; Nam prout inquit S. Paulus, non ſumus ex nobis ipſis ſufficientes, vel bonam cogitationem habere: Fides autem nulla eſt ſine aliqua cogitatione bona. Inſuper ait, Gratiam nos ſervare per fidem, neque id eſſe ex nobis, nam Dei donum eſt. Eſtque hoc unum ex primarijs capitibus hæreſeôs Pelagianæ ſuſtinere poſſe quem credere per vires ſuæ libertatis, abſque auxilio Gratiæ Jeſu Chriſti: Liquet enim authoritate Sacrarum Scripturarum, debere Deum nobis cor aperire, præparare noſtram voluntatem, uno verbo facere ut credamus.

‡ *Prout inquit S. Paulus*] Locus prior extat 2. Cor: III, 5. poſterior Eph: II, 8.

Eſtque hoc unum] Bellarminus *lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 1.* non modò agnoſcit, fuiſſe *unum ex erroribus Pelagianorum poſſe hominem credere ſine ſpeciali Gratia Dei*, ſed monet *in eodem errore fuiſſe Caſſianum & alios quoſdam in Gallia, qui propterea Pelagianorum reliquiæ dici meruerunt*; ac tandem *hunc fuiſſe unum ex erroribus Fauſti Rhegienſis, perſpicuum* ait *ex libris ejus de libero arbitrio.* Jam autem eundem eſſe hodiernorum Jeſuitarum errorem demonſtrat Janſenius *parall. ſui notâ 54 55. 56. 57.* ubi monet eos cum Maſſilienſibus, ideſt Semipelagianis, *ſibi tribuere initium fidei, credere, deſiderare* &c. ſic tamen ut cùm Maſſilienſes nonniſi *initium fidei & in ea perſeverantiam ſibi aſſcriberent*, Jeſuitæ *omnes virtutes ſibi tribuant*; nec *initium* modò *ſalutis*, ut *illi*, ſed *totam ſua pote-*

ſtati vendicent, nullam poſt initium fidei *Gratiam actualem* agnoſcendo, quam illi utcunque admittebant. Etſi enim ſtatuant Jeſuitæ cum ſuo Concilio Tridentino *Seſſ.6. can. 3.* neminem ſine Gratia credere poſſe *ut oportet*, tamen eos in illa vocula niti baculo arundineo *ibid.* monet Janſenius, quandoquidem Leſſius & Molina ipſi citati, aſſerunt poſſe homines auditâ prædicatione Euangelicâ, abſque Gratiæ adjutorio, *ſalutaria* quæ probabiliter propoſita fuerint *credere*, & nudis naturæ viribus *concipere ingens deſiderium beatitudinis, & petere à Deo ad illam perduci.* Ut non mirum ſit Sirmondum Jeſuitam *Hiſtoria Prædeſtinatiana cap. 7. & 8.* tam operoſam defenſionem Concilij Arelatenſis & Fauſti Rhegienſis ſuſcepiſſe, quod videret planè cum Fauſto in Gratia Chriſti oppugnanda ſuos ſodales conſpirare; Sed qui ſe cordatè Sirmondo oppoſuit Ampliſſ. Præſes Gilbertus Mauguin, *in Prædeſt. fab. confutatione, capp. 7. & 8.* fuſè demonſtrat *Pſeudo-Synodos illas* Arelatenſem & Lugdunenſem, *nihil aliud quam Fauſti Regienſis, profundæ calliditatis viri, commenta fuiſſe; neque ullam Prædeſtinatorum hæreſim, ſed Catholicam ipſam de Prædeſtinatione doctrinam, ſub commentitiorum Conciliorum illorum nomine, tam in Epiſtolis quam in libris ſuis à Fauſto damnatam.* Et *libros Fauſti à ſummis Pontificibus jure proſcriptos, à Synodis Catholicis legitimè hæreſeôs damnatos fuiſſe.*

Debere Deum nobis] Huc faciunt loca ad quæ alludit author Act: XVI,14. Phil: I,29. II,13. Ioh: VI,44. Quibus plura alia addi poſſent.

Vno verbo] Non dat ergo ſolũ poſſe credere ſi velimus, per imaginariam Gratiam ſufficientem Jeſuitarum, cujus diſpar eventus ex ſolo hominum arbitrio pendeat, ſed revera ut velimus credere & actu credamus.

33. *Hæc Gratia ad credendum neceſſaria, datur-ne omnibus hominibus?*

Non; Nam ut ait Scriptura, Fides non eſt omnium; & prout addit S. Paulus, Quomodo credent qui non audiverint? Et quandoquidem hæc Gratia eſt Gratia Jeſu Chriſti quæ credere facit, tot hominibus non credentibus, palàm eſt eos hanc Gratiam non habuiſſe.

†. *Non: Nam*] Locus prior extat 2. Theſſ: III,2. poſterior Rom: X,14. Et

x, 14. Et hîc iterum primò Sufficiens & Universalis Jesuitarum & similium Gratia, quam propugnant nominatim Bellarminus *lib. 2. de Gratia & lib. arb. cap. 5.* ac meus Tirinus *Cont. 14. n. 11.* de ponte dejicitur; Secundò ostenditur nec omnes ad fidem invitari præconio Evangelij, nec τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, uti ex libro Creaturarum & Naturæ hauritur, pro vocatione idonea & sufficienti ad Christi fidem haberi posse. Tertiò, benè ab eventu colligitur eos qui non crediderunt eo ipso Gratiam quâ creditur nunquam fuisse consequutos. Nec ideo tamen incredulitas eorum in Deum potest rejici; cùm Gratia fidei & nulli debeatur, & nulli qui non sit commeritus eâ privari denegetur: Vide supra *Erotema 9.*

34. *Est-ne Gratia Iesu Christi necessaria ad orandum?*

Ita; Nam ut idem ait Apostolus, Spiritus est qui in nobis & pro nobis precatur, id est facit ut precemur; Et quandoquidem credere nemo potest nisi Gratia efficiat ut credat, ita nec precari quispiam poterit, nisi faciat Gratia ut precetur.

35. *Illa Gratia necessaria ad precandum datur-ne omnibus hominibus?*

Non; Quoniam enim omnes homines non accipiunt Gratiam credendi, sic neque recipiunt Gratiam precandi: Nam ut inquit Sanctus Paulus, Quomodo invocabunt eum in quem non crediderunt? Et quoad eos qui credunt, cùm nec omnes illi precentur, inde sequitur eos non habere Gratiam Jesu Christi ad precandum, quandoquidem proprius illius effectus est facere ut precemur.

† *Nam ut idem ait*] Locus extat Rom: VIII, 26. cui suppar legitur Zach: XII, 10. ubi Deus promittit se in suos effusurum *Spiritum Gratiæ & deprecationum.*

Quandoquidem credere] Nam ad singulos bonos actus, cujuscunque sint ordinis, actualis & specialis Gratiæ Divinæ motio, inspiratio & determinatio requiritur, quò acti agamus, & uni Deo omnis boni laudem, nobis vero omnis mali culpam adscribamus.

Quoniam enim omnes] Id benè infertur, eo quod nequeunt esse preces Deo gratæ & acceptæ nisi fiant in fide Jac: I, 6. v, 15. Hoc sale, sine quo impossibile est placere Deo Heb: XI, 6. omnis nostra oblatio condi debet.

Nam, ut inquit] Extat locus Rom:x,14. ex quo & ijs quæ hîc obiter de pijs precibus annotantur, colligendum necessariò venit, non veras esse preces à Spiritu Gratiæ & precum profectas, I. Quæ homines in Papatu docentur fundere linguâ sibi ignotâ & peregrinâ; adeo ut & preces publicæ nonnisi Latino idiomate in cultu ordinario recitentur, contra Paulum I. Cor: XIV, 14. 15. 16. 17. 18. 19. & ipsius Justiniani *Novellam 137. cap. 6.* & per Regulam IV. Indicis Expurgatorij Hispanici, non minus *Horæ & earum differentia* (sic appellantur libelli precum quos vulgus terere solet,) quam Biblia sacra *quavis linguâ vulgari* prohibeantur; Sanè qui sic precantur ut non intelligant quod dicunt, nec in fide precantur, nec Spiritu Sancto directore: Tales labia vitulorum offerunt, non vitulos labiorum. II. Quæ in eadem communione multò frequentiùs B. Virgini & Sanctis cœlitibus quam Deo offeruntur: Etenim cum credere debeas in eum quem vis invocare, eo ipso solus Deus erat religiosè invocandus, quod in illum solum credere oporteat Jerem: XVII, 5. 6. Manet enim ex mente Apostoli hæc regula, quam etiam imprudens annotavit Cornelius à Lapide Jesuita *in epist. ad Rom. §. 142. Nemo invocat eum in quem non credit, quem non agnoscit, ut pote à quo nihil opis vel auxilij sperat.* Incipit proculdubio & hîc suis cordatis propugnatoribus affulgere Gratia Dei, ut sub illius lumine tacitè & indirectè suæ Communionis ritus hac in parte Superstitiosos & Idololatricos taxare & rejicere incipiant.

Et quoad eos qui] An ergo, inquies, juxta Doctissimum Catechistam Spiritus precum à Spiritu & Gratia fidei ita potest sejungi, ut hæc illum comitem nunquam habeat? Non putem hanc illius esse mentem: Siquidem Gratia à qua fides est, fides inquam viva & vera, & quæ per charitatem efficax est Gal: v, 6. ipsimet Authori est Gratia Christi, Gratia efficax, Gratia interior, victrix & liberatrix, quæ adeo cœptum in quopiam bonum opus suum non deserit, sed perficit usque in diem Christi Phil: I, 6. Nec duplici Gratiâ opus est, unâ ad credendum, alterâ ad precandum; sed utrumque uni Gra-

tiæ salu-

tiæ ſalutari acceptum ferri debet. Quid quod hæc eſt natura veræ & ſalvificæ fidei, ut ſeparatim à bonis operibus, charitate inquam & pietate, exiſtere nequeat? *Nam fides quæ charitatem & bona opera non habet, fides eſt dæmonum non Chriſtianorum*, inquit Anſelmus, citatus & laudatus Cornelio à lapide *ad Gal. 5. §. 127.* Et *credere verè*, inquit Auguſtinus *tract. 100. in Ioh. eſt credere quomodo credendum eſt, inconcuſſe, firmè, ſtabiliter, fortiter.* Ac ſicut fides πρόσκαιρος de qua Luc: VIII, 13. nonniſi nomine tenus fides eſt, & cum herba *ſolſtitiali* conferenda, ut cum Plauto loquar, quæ repentè orta eſt & repentinò occidit, adeoque illud Publij Syri hîc veniat uſurpandum, *Fidem nemo perdit unquam niſi qui non habet*, 1. Joh: II, 19. ita ea demum vera eſt & viva, quæ & Prædeſtinatis eſt propria, ex Act: XIII, 48. & comites habet pietatem, reſipiſcentiam & charitatem. Huc facit illud Johannis 1. II, 4. *Qui dicit ſe noſſe Deum & mandata ejus non cuſtodit, hic mendax eſt*; quem ad locum Lorinus. Ieſuita id Bedæ citat; *Quiſquis Deum non amat, profectò oſtendit quia quam ſit amabilis non novit; & quam ſit ſuavis Dominus & dulcis guſtare ac videre non didicit*, (quod tamen veræ fidei eſt) *qui ejus conſpectibus placere continuâ dilectione non ſatagit.* Quare Auguſtinus *de fide & operibus, cap. 22.* ſic loquitur; *Nequaquam mens incauta fallatur, ut ſe exiſtimet Deum cognoviſſe, ſi eum fide mortuâ, hoc eſt ſine operibus confiteatur, more dæmonum; & ideo ſe jam non dubitet ad vitam æternam eſſe venturam, quia Dominus dicit, Hæc eſt autem vita æterna ut te cognoſcant unum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum; Venire quippe debet etiam illud in mentem quod ſcriptum eſt, In hoc cognoſcimus eum ſi mandata ejus ſervaverimus.* Abſit à fortiſſimis hiſce athletis Gratiæ ut fidem mortuam & dæmonum, Gratiæ Chriſti, efficaci & victrici tribuant, aut ei aliam vindicent quam quæ eſt viva & *Electorum* Dei, uti dicitur Tit: I, 1. & quæ per bona opera demonſtratur Iacob: II, 17. 18. Quid ergo? Videtur Vir Doctiſſimus hoc loco crypticè ſic loquutus, quaſi non ſit alienus à doctrina in Papatu recepta quam propugnat Bellarminus *lib. 1. de Iuſtif. cap. 15.* ſtatuendo *Fidem veram poſſe reipſâ à dilectione aliſque virtutibus ſeparari*, cum revera hoc ſibi tantum velit, inſiſtendo ſuis principijs, vel quod qui incipiunt credere per lumen Gratiæ & fidei, non ſtatim in pias & ſanctas preces erumpant, Deo nonniſi gradatim illos eò deducente; vel quod qui jam credunt & fidei habitu inamiſſibili ſunt donati, ut non

ſemper eliciunt actus fidei ſuæ, ſic nec ſemper precentur, adeoque non ſemper actu moveantur per Spiritum precum; qui tunc demum formaliter talis dici debet, quùm actu movet ad precandum. Quod ſi quos ſtatuat Author dari de facto credentes, qui ultra generalem & hiſtoricum aſſenſum non procedant in opere pietatis, utique illi erunt *credentes* æquivocè, nec volet eorum fidem temporariam Gratiæ efficaci & victrici Chriſti, quæ ſemper plus ultra tendit, adſcribere; ſed potiùs eam annumerabit illis *gratijs tranſitorijs* quæ cadunt in quoſdam reprobos, de quibus agit infrà *Erot.* 65. ac ſedulò diſtinguens inter paleam & frumentum, non obliviſcetur ejus quod dicit Tertullianus *de præſcript. cap.* 3. *Avolent quantum volent palea levis fidei quocunque afflatu tentationum, eo purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur.*

36. *Eſt-ne Gratia Ieſu Chriſti neceſſaria, ut benè fiat quælibet actio?*

Ita: Nam bonum opus debet fieri propter Deum, & ad illius gloriam referri: aliàs inficitur veneno amoris proprij, ex quo propter nos fieret & noſtri reſpectu. Quod ſi abſque Gratia credi non poteſt, multò minus poſſet benè agi abſque ejus auxilio.

‡ *Ita; Nam*] Conciliet qui poterit hoc verum aſſertum cum Anathematiſmo Tridentino *ſeſſ. 6. can. 7.* in eum vibrato qui opera infidelium, ſive quæ ante juſtificationem facta fuerint, *verè eſſe peccata & odium Dei mereri* ſtatuerit. Nam ut nihil boni vel benè poteſt fieri abſque Gratia Chriſti Ioh: xv, 5. & fide in Deum Heb: xı, 6. Rom: xıv, 23. ita eoipſo peccatum eſſe debet quicquid malè fit, ex amore ſui non Dei, cui Civitas Diaboli ſuam fundationem acceptam refert.

Quod ſi abſque] Non quod facilius ſit benè credere quam benè operari, ſed quod ipſa bona operatio ex fide procedat, ut docemur 1. Tim: 1, 5. Imò eidem Gratiæ ſalutari ac regeneranti, & fidei lumen & ſanctificationis ſtudium debet adſcribi: Quæ Deus conjunxit homo non ſeparet. Hic autem videmus quam Pelagianè, ingratè & impiè, Pius v. in ſua Bulla contra Michaelem Bajum Lovanienſem

Theologum

Theologum pro Jesuitis emissa, has optimi viri assertiones nigro notaverit calculo, *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*; Item, *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas quâ mundus diligitur, quæ à Iohanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur*; Item, *Liberum arbitrium sine Dei Gratiæ adjutorio nonnisi ad peccandum valet*; Quæ omnes assertiones, ut eminenter hîc proponuntur à nostro Catechista, insuper habitâ Bullâ Papali, ita formaliter habentur apud Augustinum, ut ab ipso Iansenio observatum *lib. 4. de statu nat. lapsæ, cap. 26.* & sparsim in suo opere probatum.

37. *Est-ne hæc Gratia necessaria ad superandas tentationes?*

Ita: Cum enim nemo ex se quicquam habeat præter peccatum & mendacium, poterit quidem homo peccatum per aliud peccatum superare, voluptatem exempli causâ per ambitionem; sed nunquam poterit superare peccatum per veritatem & justitiam, nihil aliud habens in seipso quam quod illis opponitur: Estque necessarium, inquit Innocentius Papa, cùm Deus sit qui nos reddit victores auxilio quod nobis dat, ut vincamur ipso hoc auxilium subducente.

‡ *Ita*] Et hîc doctrina vulgaris Iesuitarum notatur ac refutatur: Nam Bellarminus qui *lib. 5. de Grat. & lib. arb. cap. 7.* videtur in speciem sustinere, *Non posse naturæ viribus ullam veram tentationem superari*, Primò profitetur se loqui demum *de vera tentatione*, non verò *de levissima aliqua titillatione*, *quæ* apud ipsum *nomen tentationis propriè & absolutè non meretur*; Quasi quælibet carnis & concupiscentiæ *suggestio* ad tentationes non pertineat, aut leviores illas titillationes etiam nolimus deprecari, cùm Deo dicimus, *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Secundò pertendit *multas esse tentationes quæ per se non superant vires humanas*; unde sequitur ergo multas dari ad quas superandas Gratia *per se* necessaria non sit. Tertiò agnoscit non deesse inter suos *authores qui dicunt sine auxilio Dei aliquas* tentationes *vinci posse*; quos secum posse-

cum posse conciliari autumat, quòd non semper requirat *ad vincendas tentationes auxilium speciale propriè dictum, hoc est internam illustrationem, vel motionem supernaturalem, sed quodcunque auxilium Dei, sive consistat in eo quod Deus singulari porvidentiâ suâ removeat occasiones peccandi, sive in eo quod non permittat Diabolum sævire quantum vellet, sive quocunque alio modo Deus nos juvet.* At externa Providentiæ Divinæ dispensatio Gratia Christi dici non debet: & qui ad superandas tentationes veras non requirit auxilium *speciale* & *supernaturale*, ille eo ipso statuit *naturæ viribus* eas superari posse. Quinetiam inter alias Michaelis Baij propositiones in Bulla Pij v. damnatas, hæc fuit, quæ tamen hîc à Doctissimo Catechista reponitur; *Non soli fures ij sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant, sed etiam quicunque aliunde quam per ipsum in viam justitiæ, hoc est ad aliquam justitiam, conscendi posse docent, aut tentationi ulli sine Gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur aut ab ea non superetur.* Macte illa vestra virtute, Viri Docti, quod audeatis in os resistere impio illi Pontifici, qui in suorum Iesuitarum gratiam, damnatâ Orthodoxissimâ sententiâ, puri puti Pelagianismi putidam & impiam protectionem susceperat; Amicus vobis Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas. Agnoscitis enim quod homini per Gratiam Christi nondum liberato, *loco libertatis abstinendi à peccato inducta est peccandi necessitas*, ut probat multis Iansenius ex suo & vestro Augustino *lib. 3. de statu nat. lapsæ, cap. 11. Estque*, inquit idem *ibid. cap. 15. doctrina sanctissimi Doctoris indubitata pugnam aut victoriam quæ ante fidem contra peccatum obtinetur, sive peccati tentationem cavendo, sive superando, non aliter fieri, nisi superbiâ in animo, vel certè timore carnali, aliâ-ve concupiscentiâ terrenâ dominante.* Et verè ab Augustino dictum *lib. 3. ad Bonif. contra duas epist. Pelag. cap. 4. Carnalis cupiditas cupiditate non sanatur*; Item, *lib. 21. de C. D. cap. 16. Tunc victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur.* Huc & illud pertinet Concilij Arausicani *11. can. 17. Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, nullis meritis Gratiam prævenientibus.*

Nemo ex se] Id habetur in Concilio Arausicano 11. *can. 22.* cujus lemma est, *De his quæ hominum propria sunt*; textus vero, ita sonat; *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum; Si quis autem habet homo*

bet homo veritatem atque justitiam ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.

Poterit quidem] Benè enim docet Prosper *de Ingratis cap. 21.*

——— *Arbitrium nunquam consurgere posse*

Inque novos lapsus semper nitendo revolui. Etenim ut idem habet *cap. 27.*

Vana cupit, vanis timet & tumet, omnimodaque

Mobilitate ruens in vulnera vulnere surgit.

Innocentius] Nomine hoc primus, ab hodierno Nocentio qui Pelagianos Jesuitas fovet in sinu, longè remotus: Ejus verba hæc sunt *in epistola ad Concil. Carthag. quæ est 91. inter Epist. Aug. Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eodem rursus non adjuvante vincamur.* Et *in epist. ad Concil. Milevit. quæ est 93. apud Aug. Gratiâ privatus, necesse est in diaboli laqueis irretitus occumbat.* Concinit ei Cælestinus 1. in eadem sede, *epist. ad Gallos, cap. 6. Nemo etiam Baptismatis Gratiâ renovatus, idoneus est ad superandas Diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei, perseverantiam bonæ conversationis acceperit.*

38. *Habent-ne semper justi Auxilia necessaria ad superandas omnes tentationes?*

Non; Nam Deus ad sanctos humiliandos non semper illis dat vel illuminatam cognitionem, vel delectationem victricem, quò agnoscant lucem quâ illuminantur, & suavitatem per quam agunt, à seipsis non esse, sed à Deo; Quapropter eorum differt sanationem, adeo ut bonum sufficienter non ipsos alliciat ad justitiam omnimodè complendam, sive id bonum ipsis opertum, sive apertum fuerit; ne facilitatem in omnibus reperientes, sibi tribuant quod soli Deo tribui debet; hac autem ratione non vult eos perdere, sed per humilitatem servare.

‡ *Non; Nam Deus*] Hîc ratio idonea redditur quî fiat quod nemini piorum in terris agenti eâ copiâ Gratia Dei communicetur, ut ab omni lapsu & peccatis, saltem *quotidianæ incursionis*, vitam suam transigere possit. Eò magis nobis sufficit Dei Gratia, quo in majori in-

firmitate ejus virtus perficitur: Quotidiano illo infirmitatum & imperfectionis nostræ sensu docemur abjicere omnem meritorum nostrorum & propriæ justitiæ fiduciam, ac dicere cum Bernardo *serm. 23. in Cant.* *Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium cui soli peccavi; Omne quod mihi ipse non imputare decreverit, sic est quasi non fuerit; Non peccare, Dei justitia est; hominis justitia, indulgentia Dei.* Sic quoque monemur omnis boni laudem soli Deo esse adscribendam, nobis vero imputandam ac nativæ nostræ corruptioni culpam omnis mali quod facimus; & dum claudicando cum Jacobo ad nostram Bethelem contendimus, nequimus ad nostras infirmitates reflectere, quin ardenter optemus ex hoc corpore mortis liberari, in quo gemebat Apostolus gentium Rom: VII, 24. Etiam nutrices dum gressus suorum alumnorum student formare, quandoque sinunt eos labi, non quò se lædant aut pereant, sed quò cunctantiùs & cautiùs procedant, aut sibi firmiùs adhærescant. Ita nempe Deus, qui lucem suam educit ex tenebris & ex ipsis venenis parat antidota, efficit ut omnia pijs in bonum cooperentur, teste Paulo Rom: VIII, 28. adeoque & ipsa peccata, licet id Pelagij reliquiæ à nostris quandoque dici iniquiùs ferant. Ut enim *improbis & reprobis omnia cooperantur in malum, & ipsa oratio eorum vertitur eis in peccatum*, inquit benè Augustinus *serm. 78. de temp. & soliloq. cap. 28.* ita etiam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, *usque adeo prorsus omnia*, inquit idem Augustinus *de corr. & grat. cap. 9.* *ut etiamsi qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Discunt enim in ista ipsa vita justa cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando tanquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua, Non movebor in æternum.* Quod si nequidem ipsis pijs & sanctis semper præstò est auxilium necessarium ad omnes superandas tentationes, quâ fronte volunt Jesuitæ cum suo Tirino, à nobis ideo suo loco fusiùs refutato *Cont. XVI, n. 11. & 12.* dari omnibus adultis Gratiam universalem quæ sit sufficiens ad salutem; imò auxilia sufficientia Gratiæ, etiam maximis peccatoribus, impœnitentibus, excæcatis & induratis, semper præstò esse in hac vita? Quasi vero jus non esset Deo suam Gratiam nulli debitam, aut quibusdam absolutè non concedere, in pœnam peccatorum suorum; aut ijs etiam ad

tempus,

tempus, quoad ejus præsentem consolationem & efficaciam, subducere, qui cæteroquin semen Dei in se manens habent 1. Joh: III, 9. vel in correptionem præteritæ alicujus negligentiæ, ut deinceps cautiùs mercari discant, vel ad institutionem humilitatis in posterum.

39. *Est-ne Gratia Jesu Christi necessaria ad perseverandum?*

Ita; Quandoquidem, ut dicit Concilium Tridentinum, nemo servatur quin perseveret ad finem usque, quòd equidem aliunde haberi non potest, inquit idem Concilium, nisi ab eo qui potens est ad justum confirmandum, & ipsi suppeditandum vires permanendi in accepta justitia.

‡ *Concilium Tridentinum*] Non erat cur hîc Concilij Tridentini fieret mentio, ubi tam perspicua est ipsa Scriptura, tùm de necessitate Perseverantiæ Matth: XXIV, 13. cùm Deus coronam non in principio vel medio stadij posuerit, sed in fine; tùm de ipso Perseverantiæ dono uni Dei Gratiæ certissimè adscribendo Rom: XI, 29. Phil: I, 6. II, 13. 1. Pet: I, 5. *Totum* itaque *Deo dandum est, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam*, inquit Augustinus *Enchiridij, cap. 32.* Sed Concilij Tridentini hîc facta est mentio à Catechista, quod sentiant Viri Docti ex hac potissimum mole Tridentina Jesuitas Gratiæ doctrinam impugnare, nec tamen ausint palàm illi renunciare. Extat autem quod hîc habetur partim *cap. 13.* partim *can. 22. Sess. 6.* Hic interea insinuatur contra Jesuitas, Primò, non solùm dari per Gratiam pijs ut possint perseverare si velint, sed & ipsam efficere ut revera perseverent; *Si enim solum posse nostrum hac Gratiâ juvaretur, ita diceret Dominus, Omnis qui audivit à Patre & didicit potest venire ad me; Non autem ita dixit, sed Omnis, inquit, qui audivit à Patre & didicit venit ad me*, inquit Augustinus *lib. 1. de Gratia Christi contra Pelag. & Cœl. cap. 14.* Secundò, Non se habere in sanctis Gratiam Dei liberatricem ad modum habitus poiëtici, ut nostri sit arbitrij ex illa vel secus operari, cùm per ipsam efficaciter ad perseverandum determinemur, & illa in voluntatem nostram agat

 indeclina-

indeclinabiliter & inseparabiliter, ut docet Augustinus *de corrept. & gr: cap. 12.* Tertiò, in hominis arbitrio non esse Gratiam Dei victricem & medicinalem excutere. Quamvis enim nemo Sanctorum in hac via & vita ad *ἀναμαρτησίαν* & impeccantiam Pelagianam & Jesuiticam perfectionem conscendat 1. Joh: 1, 8. tamen omnes Dei Sancti & electi ita à totali & finali defectione præservantur ipsius Gratiâ Matth: xxiv, 24. 1. Joh: iii, 9. v, 18. ut tandem ad metam fœliciter perveniant: Quod non minus eleganter quam verè dixit Augustinus *de corrept. & grat. cap. 12.* Sancti *accipiunt tantam per istam Gratiam libertatem, ut quamvis quamdiu hic vivunt pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisque nonnulla surrepant propter quæ dicant quotidie, Remitte nobis debita nostra, non tamen ultra serviant peccato quod est ad mortem de quo dicit Iohannes, Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis*; Quare idem Augustinus constanter huic Gratiæ adscribit ipsammet in bono perseverantiam, quæ *frustra quotidie à Domino petitur* (inquit *cap. 17. de bono perseu.*) *si non eam Dominus per Gratiam suam, in illo cujus orationes exaudit operatur.*

40. *Hæc Gratia necessaria ad perseverandum, datur-ne omnibus justis?*

Non: Hæc Gratia nec Universalis est nec communis omnibus justis, quandoquidem Concilium Tridentinum Anathema ei denunciat qui dixerit justificatum sine speciali auxilio in accepta justitia perseverare posse: Jam autem speciale auxilium nec generale est, nec commune omnibus: Et idem Concilium eos damnat qui dicunt doni perseverantiæ certitudinem posse haberi absque speciali revelatione. At omnes justi de eo certi essent si daretur omnibus.

41. *Justi qui non perseverant, sunt-ne verè justificati?*

Ita: Plures verè justificati sunt per Baptismum & per alia Sacramenta quæ ipsis conferunt veram justitiam, quam deinceps perdunt suis criminibus, à quibus non resurgentes per veram pœnitentiam tandem in suis peccatis miserè moriuntur.

‡ *Non: Hac Gratia*] Quæ hic citantur ex Concilio Tridentino extant *sess. 6. can. 22. & 16.* Et Viri Docti populari artificio hanc Gorgonam Concilij objiciunt suis adversarijs, qui proram & puppim suæ causæ in illo Conciliabulo collocant. Hinc saltem *ad hominem* benè argumentantur, non posse Auxilium ad Perseverantiam sufficienter præstò esse omnibus & singulis, quod *speciale* ab ipso Concilio appellatur. Quid autem per hos *justos* quibus Gratia perseverandi non datur intelligant, mox videbimus.

At omnes justi] His verbis eruditâ subtilitate evertunt ipsum *Canonem 16. sess. 6.* Concilij Tridentini quo tamen niti videbantur; Etenim posito quod justi omnes forent certi *magnum illud Perseverantiæ donum se habituros*, si esset commune omnibus justis, hinc duo infallibiliter sequuntur; Primò, omnes saltem eos quibus illud donum perseverandi conceditur, non tantum illud habere, sed etiam certò & infallibiliter nosse absque speciali revelatione se illud habere, prout per lumen ipsum fidei, quicunque credit certò & infallibiliter novit ac sentit se credere, dicente Augustino *lib. 13. de Trinit. cap. 1. Fidem ipsam videt quisque esse in corde suo si credit, vel non esse si non credit.* Eadem docet Thomas *1. 2. q. 112. art. 5. ad. 2.* Secundò, omnes verè justos certò & infallibiliter scire & sentire se tales esse, absque revelatione speciali, quandoquidem absque illa scirent & possent dicere *absolutâ & infallibili certitudine*, ut loquitur Concilium, *se magnum illud usque in finem perseverantiæ donum certò habituros*, si perseverantiæ donum omnibus justis foret commune & universale. Et sanè cum *cap. 5. Erot. 42. 43.* studeat Catechistes ostendere, suam doctrinam salutis certitudinem non evertere, nullus dubito quin eam propugnet adeoque & perseverantiæ finalis, sine qua salus obtineri nequit, in omnibus verè credentibus & pijs, & cuique eorum citra specialem revelationem jus faciat usurpandi verba Pauli 2. Tim: 1, 12. *Novi cui crediderim*, ac ipsius Bernardi *in Psal. 91. serm. 10. Dicit fides, Parata sunt magna & inexcogitabilia bona fidelibus suis; Dicit spes*, (illa utique quæ non confundit) *Mihi illa servantur; Dicit charitas, Curro ad illa.* Nec est quod quis inter *spem* & *fidem* salutis scrupulosiùs distinguat, illam concessurus hanc negaturus, quandoquidem ut *ibidem* docet idem Bernardus, *Germana fidei speique cognatio est, ut quod illa futurum credit, hac sibi incipiat sperare futurum; Meritò proinde Apostolus fidem sperandarum rerum substantiam esse*

tiam esse definit (Heb: XI, 1.) *quod videlicet non credita nemo sperare, non plus quam super mare pingere possit.* Etenim ut Chrysostomus ipse docet *in hom. de spe, fide & char. Quicquid fides credendo acquirit, hoc spes sustinendo præsumit.*

Ita; plures] Etiam hîc metus fulminis Tridentini *ex sess. 6. can. 22.* Doctissimum Catechistem ad aliquam crypsim adegit; ut hic *justos* intelligat eos qui nonnisi δοξαστικῶς, apparenter, professione tenus, ex sua & aliorum præpostera opinione, tales sint & videantur, ut cum Cometa ad tempus stellarum splendorem & motum imitatur; non verò eos qui propriè & coram Deo per fidem vivam in Jesum Christum ejusque merito & satisfactione justificati, regenerationis semen incorruptibile, per victricem, medicinalem & liberatricem Gratiam consequuti fuerint. Etenim si Vir Doctus à seipso palàm nolit dissentire & sua verissima principia deserere, statuere debet semel & propriè per Gratiam Christi justificatos, atque regenitos per adoptionis Spiritum, nunquam suâ illâ justificatione & regeneratione excidere; adeoque vel à posteriori colligi evidenter, eos qui non perseverant usque ad finem, nunquam regenitos internè per Spiritum Gratiæ, aut coram Deo per satisfactionem & obedientiam Christi, verâ & vivâ fide apprehensam, justificatos fuisse; Si fuissent ex nobis, nobiscum mansuri fuissent, inquit Apostolus 1. Joh: II, 19. *Qui cecidit stabili non erat ille gradu*; Stella cadens non est stella, cometa fuit. Non urgebo, veram ac vivam fidem quâ justificamur coram Deo, ut suprà indicavi, esse ἄσβεστον & inamissibilem Rom: XI, 29. verum item Dei amorem semel accensum in cordibus nostris nunquam perire; & *incorruptibile* esse & *permanens semen* regenerationis 1. Pet: 1, 25. 1. Pet: III, 9. Deique dilectionem erga eos quos semel justificavit esse constantissimam ex Paulo Rom: VIII, 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. *Verus* enim *amor constantiâ probatur*, inquit Ambrosius *epist. 40.* imò Seneca *in Thyeste*, *Quos amor verus tenuit tenebit*: Sed sufficiet mihi ipsa Doctissimi Viri commemorare principia, quæ planè sunt ἀσύγκλωστα cum defectione & perditione æterna eorum qui per Gratiam Domini Nostri Jesu Christi justificati & justi semel fuerint. Primò enim fidem justificantem & quod illam comitatur semen regenerationis in novam vitam, deputat illi Gratiæ quam semper *efficacem* & *victricem* esse antea docebat, *Erotemat. 13. & 14.* At

nec

nec efficax foret nec victrix, si in quibusdam jam per illam justis & justificatis, tandem vinceretur à peccato dominante, suffocareturque penitùs & suo frustraretur effectu; Quin sic Deo volenti servare, humanum resisteret arbitrium, & eam Gratiam Dei excuteret cujus est resistentias nostras superare & domare. Adhæc qui justus est & justificatus sanguine Christi coram Deo, consequutus est utique Gratiam precandi, de qua egit author suprà *Erot. 34. & 35.* & sub cujus auspicijs, petit fiducialiter à Deo non induci in tentationem & perseverantiæ donum; Quare non minus infallibile est semel justificatum perseveraturum, quam certò Deum exauditurum eas preces quas ipsi fuderit sub ductu Spiritus precum pro perseverantia consequenda Joh: XVI, 23. Præterea certum est neminem à Deo justificari per Christum & sanctificari per Spiritum Gratiæ, quin eo ipso statuatur Deus velle ipsum servare: Nam qui vult finem vult etiam media; & qui vult & operatur media, eo ipso censetur velle finem; ac dicere Deum quosdam de facto justificare & sanctificare quos tamen non velit servare, esset statuere Deum eos in filios suos adoptare & regenerare, quos tamen pro filijs nolit agnoscere; & illa peccata revera condonare & remittere, quæ nihilominus decreto infallibili & æterno, pœnis æternis in gehenna plectere constituerit: Jam autem Deus juxta Virum Doctissimum infrà *Erot. 66.* non censendus est velle aut voluisse unquam eos servari qui pereunt; aliàs enim non perirent sed servarentur: Quare nec censendus est eos unquam revera justificasse per sanguinem Christi & sanctificasse per Spiritum Gratiæ qui ad salutem æternam nunquam perveniunt. Ipse quoque Vir Doctissimus suprà benè monebat *Erot. 33.* fidem salvificam & justificantem non esse omnium: At idem Apostolus qui eam omnium esse negat 2. Thess. III, 2. eam facit specialem Electorum Dei Tit: I, 1. Adde locum Act: XIII, 48. Et quam necesse est nullum Electum perire Matth: XXIV, 24. tam necesse est omnem veræ fidelem & ex fide justificatum perseverare & tandem obtinere vitam æternam Ioh: III, 16. Est etiam axioma certum Viri Eruditissimi, quod omnes Prædestinati *certissimè* servabuntur, infrà *Erot. 61.* At verò omnes participes Gratiæ D. N. I. C. & per ipsum justificati coram Deo, eo ipso Prædestinati esse intelliguntur; tum quod Gratia Christi est Gratia *Servatoris*, *Liberatoris*, *Redemptoris*,, ut suprà dicebat:

bat *Erot.3.* quâ per consequens actu & revera perditi servantur, liberantur captivi, redimuntur miseri; nemo vero actu & revera servatur, liberatur & redimitur, nisi Electus ad gratiam & gloriam; nec foret Gratia secundi Adami auxilium *quo*, distinctè à Gratia & beneficio primi Adami quod erat tantum auxilium *sine quo non*, nisi immunes à defectione præstaret eos quibus confertur; tum quòd ut nemo prædestinatus non justificatur ad gloriam obtinendam, ita nemo justificatur per fidem in Christum & fit particeps Gratiæ Christi liberatricis & victricis, qui non sit ad eandem gloriam prædestinatus: Id luculenter docet Apostolus Rom: VIII, 28. 29. & ex illo Augustinus *de Prædest. Sanct. cap. 17. Quos enim prædestinavit, ipsos & vocavit, illâ scilicet vocatione secundum propositum; Non ergo alios sed quos prædestinavit, ipsos & vocavit; nec alios sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit: nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit, illo utique fine qui non habet finem.* Denique & hoc infra non obscurè statuet Doctissimus Catechista *Erot. 65.* Christum non esse mortuum pro ijs qui pereunt: quod & jam olim Gotteschalcus genuinus Augustini imò Scripturarum discipulus sustinuit, ejusque plurimi vindices, & in Concilio Valentino III. definitè conclusum fuit; Cum autem censendus sit necessariò mortuus esse pro ijs qui de facto justificantur in ipsius sanguine, debuisset etiam pro pereuntibus mortuus fuisse & satisfecisse Justitiæ Divinæ, si ulli ex justificatis perirent, & peccata semel illis de facto remissa iterum reviviscerent ad pœnam & condemnationem æternam. Igitur cùm Doctiss. Catechista asserit justos & justificatos fuisse multos qui pereunt, aut palàm propria sua deserit principia, cæteroquin verissima, quod de illo nemo sanus suspicabitur, aut per *justos* & *justificatos* qui finaliter deficiunt intelligit eos qui tales duntaxat fuerint non reipsâ & coram Deo qui novit qui sui sunt, sed professione & hominum opinione tenus, & quatenus Sacramenta regenerationis, veram justitiam ex rei natura significantia & obsignantia receperunt, atque ad tempus ita se composuerunt, ac si rem significatam unà percepissent, etsi postea facto naufragio fidei, & profanum ducendo sanguinem fœderis quo sacramentaliter sanctificati fuerant, testatum fecerint sé quidem Sacramenta veræ Justitiæ & sanctificationis obsignativa *verè* percepisse, non tamen rem ipsam Sacramenti, prout Lombardus *lib. 4. Sent. dist. 4.* benè

monet

monet quod multi *Sacramentum & non rem* Sacramenti ſuſcipiant, ac meminit illius Auguſtini, *Sacramenta in ſolis electis efficiunt quod figurant*; Etenim mali & reprobi, ut idem Auguſtinus habet *in Pſal. 103. poſſunt communicare Baptiſmum, poſſunt communicare cætera Sacramenta, poſſunt communicare orationem, poſſunt communicare iſtos parietes & iſtam conjunctionem; charitatem* (adeoque nec juſtificationem apud Deum, quam illa neceſſariò conſequitur, nec ſanctificationem veram, quæ in ea potiſſimum ſita eſt) *nobiſcum non communicant; Ipſe eſt enim fons proprius bonorum, proprius ſanctorum, de quo dicitur, Nemo alienus communicet tibi. Qui ſunt alieni? Omnes qui audiunt, Non novi vos. Si enim non cognoſcuntur, utique alieni ſunt, quibus dicitur, Non novi vos. Supereminens enim via charitatis tenet eos qui propriè pertinent ad regnum cœlorum.* Sunto itaque & dicantur iſti juſti non perſeverantes *verè juſtificati*, non tam ex ſui parte, quam ex parte Sacramentorum quibus juxta inſtitutionem Dei *vera juſtificatio* ſignificatur & obſignatur; Et cenſeantur illis non perſeverantibus ipſe *Baptiſmus & alia Sacramenta, veram contuliſſe juſtitiam*, non quidem realiter, ſed tantum ſacramentaliter. *In Eccleſia* enim, inquit Hieronymus *ad 16. Ezech. qui non plenâ fide accipiunt Baptiſma, non Spiritum ſed aquam ſuſcipiunt.* Et benè monet Lombardus *V. S. lit. C.* quod *duobus modis Chriſtum induere* (adeoque & juſtificari) *dicimur, vel aſſumptione Sacramenti, vel rei perceptione: Vnde Auguſt. Induunt homines Chriſtum aliquando uſque ad Sacramenti perceptionem. aliquando uſque ad vitæ ſanctificationem; atque illud primum bonis & malis poteſt eſſe commune, hoc autem eſt proprium bonorum & piorum. Omnes ergo qui in Chriſti nomine baptizantur Chriſtum induunt, vel ſecundum Sacramenti perceptionem, vel ſecundum vitæ ſanctificationem.* Quare illi æquivocè juſti, quibus non obtingit perſeverantiæ bonum, potuerunt dici ſimiliter à Catechiſta *verè juſtificati* ſecundum perceptionem Sacramentorum, in quibus vera juſtitia ex parte Dei ſignificatur, obſignatur & offertur, ſed nemini actu confertur niſi credenti & reſipiſcenti; licet, quod electorum proprium eſt, tales non fuerint *ſecundum vitæ ſanctificationem.* Neque tantum voluit Catechiſta, ita liberaliter in ſpeciem loquendo de hypocritis & reprobis fidem & juſtitiam in Eccleſia mentientibus, declinare invidiam impugnatæ ac rejectæ doctrinæ Concilij Tridentini, & quæ vulgò obtinet in communione Romana de interciſione juſtificationis, & juſtitiæ quæ eſt in

Christo amissibilitate, etsi illi ex diametro ejus principia reluctentur, sed insuper consultò declinavit alium doctrinæ suæ objectum in Papismo scopulum per Sacramentorum efficaciam ex opere operato. Etenim oporteret omnes Sacramenta extrinsecè percipientes Gratiam justificantem, uti vulgò loquuntur Pontificij, de facto consequi, si eam *continent* & conferunt *semper & omnibus*, *idque ex opere operato*, ut definitum in Concilio Tridentino *sess. 7. de Sac. in gen. can. 6. 7. & 8.* Sed cum hæc Paradoxa Vir eruditus sentiret non minùs pugnare cum suis principijs, quam veram & propriè dictam Justificationem per Christum aliquot pereuntium in æternum, nec tamen auderet palàm hoc ulcus tangere, nebulam sparsit per quam evaderet, verè justificatos eos omnes pronunciando qui Sacramenta veræ justificationis suscepissent, & asserendo Sacramenta veram conferre justitiam, non utique physicè & ex opere operato; tunc enim deberent omnes in Ecclesia recipientes Sacramenta esse prædestinati & infallibiliter servandi; sed (quod reticuit, ne magis irritaret crabrones & quia *subticet orator quod rusticus edit ineptè*,) sacramentaliter & modo morali; sic tamen ut illi demum soli rem Sacramentorum percipiant qui fiunt participes Gratiæ liberatricis per Christum ex Prædestinationis decreto. Igitur non nescivit, etsi non ausus fuerit ore rotundo id effari, Primò, accuratè loquendo & citra veri dissimulationem, deficientium à fide & tandem pereuntium, nullam unquam fuisse veram justitiam nullamque veram charitatem, absque qua justitia in ipso Papatu nulla vera est. *Charitas* enim *quæ deficere potest, nunquam vera fuit*, inquit Augustinus *in epist. ad Iul. Comitem cap. 7.* & *tract. 8. in Ioh. epist. Vnctio invisibilis charitas est, quæ in quocunque fuerit radix illi erit, quæ ardente sole arescere non potest; nutritur calore solis, non arescit.* Secundò, in Sacramentorum perceptione non ita necessariam & perpetuam esse connexionem signi & rei significatæ, quin plurimi externa signa & symbola recipientes, ipsâ re significatâ careant, quia fide & resipiscentiâ carent. Hinc Augustinus *tract. 26. in Ioh. De mensa Dominica quæ alicubi quotidie, alicubi certis dierum intervallis præparatur, sumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: Res vero ipsa cujus est Sacramentum* (vivifica scilicet Caro Christi) *omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit.*

Non resurgentes] At suos semel justificatos nunquam sic labi sinit Deus

Deus quin manum ſupponat, quo reſurgant ad pœnitentiam: Ad eos enim pertinet ut cuſtodia Dei 1. Pet: v, 5. ſic etiam precatio Chriſti Luc: xxii, 32. Joh: xvii, 9. 11. Hinc de lapſis dicebat Cyprianus *epiſt. ad Anton. Ne putemus mortuos eſſe, ſed magis ſemianimes jacere eos quos perſecutione funeſtâ ſauciatos videmus; qui ſi in totum mortui eſſent, nunquam de iiſdem poſtmodum & confeſſores & martyres fierent; Sed quoniam eſt in illis quod pœnitentia ſequente revaleſcat, ad fidem & ad virtutem de pœnitentia robur armatur.* Interea & hic monemus Pœnitentiam ab Erudito Viro diſtingui haud immeritò à Baptiſmo & aliis Sacramentis, quæ ſuo ſenſu conferunt Gratiam & juſtificationem, non eam producendo phyſicè, ſed eam moraliter ſignificando & obſignando, quo fortè tacitè inſinuet non ſibi placere quod *Pœnitentia* à reliquis Doctoribus ſuæ Communionis, *Sacramentis* annumeretur.

Caput Quintum.

RESPONSIO AD QUÆDAM DUBIA popularia circa hanc Doctrinam de Gratia.

42. *Non-ne videtur hæc doctrina homines deducere ad deſperationem de ſua ſalute?*

NON: Nemo enim unquam deſperat de alicujus negotij eventu, niſi cùm certus eſt ſe nec habere nec habere poſſe media neceſſaria ad illud conficiendum: Exempli gratiâ, non deſperabit æger de ſua valetudine niſi certus fuerit ſe nec habere nec poſſe habere remedia neceſſaria ad ſuam ſanationem. Atqui nemo certus eſt ſe non habiturum Gratiam neceſſariam ad ſuam ſalutem: quandoquidem Deo placet eam interdum largiri etiam maximè obduratis: Igitur non eſt locus deſperandi, ſed ſolum timendi, ac inter metum & ſpem procedendi.

† *Non; Nemo enim*] Mirum eſt Jeſuitas hunc pulviſculum contra ſolem Gratiæ excitare voluiſſe: An enim illi metuunt ne homines deſperent de ſua ſalute, qui paſſim fiduciam ſalutis proſcribunt, & ore aperto propugnant incertitudinem juſtificationis, abſque qua nulla ſa-

lus, ut videre est apud Bellarminum *lib. 3. de Iustif. cap. 2. & seqq.* & Becanum *de Iustif. Calvin. cap. 2. q. 11.* Verùm hic nodus facilè solvitur: Agitur enim vel de iis qui jam Gratiæ sunt participes, vel de iis qui olim eam habuerunt, sed pro statu præsenti ejus sensu & gustu destituuntur, vel de iis qui eam nondum sunt adepti: Priores desperare nequeunt: Nam quî desperarent de Gratia Dei consequenda qui eam habent, & inpræsentiarum *lumen, lætitiam & pacem* ex illius operatione in anima sua persentiscunt, prout Scholastici ipsi in his tribus *certum* constituunt *experimentum* Gratiæ, Halensis nominatim *p. 3. q. 61. art. 3. memb. 7.* Nec secundi; cùm propter Dei fidelitatem & constantiam, Gratia semel habita semper habeatur, etsi illius dulci sensu non semper anima perfundatur; Iis ergo vel sola recordatio consolationis quondam perceptæ ex Gratiæ aliqua inspiratione, ad desperationis tentationem expugnandam sufficiet; quòd dona & vocatio Dei sint ἀμεταμέλητα Rom: xi, 29. Ut mulier gravida quæ ad tempus non sentit motum fœtus sui, inde tamen confidit illum vivere, quòd ejus motum antea perceperit. Nec tertii ob rationes hîc allatas; maximè cum illâ sollicitudine nemo teneatur nisi ex salutis suæ desiderio, quod inter primos effectus affulgentis Gratiæ salutaris est reponendum, & ejus uberioris consequendæ certissimum est indicium, juxta dictum Christi Matth: v, 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam illi saturabuntur.*

Quandoquidem Deo placet] Suam enim Gratiam largitur gratis & ex suo mero beneplacito, non pro meritis *de congruo*, aut melioribus in hoc quam in illo dispositionibus, ut pertendunt Jesuitæ fallò & contra Christi authoritatem Matth: xi, 25. 26. Per *maximè obduratos* autem hoc loco intellige, non eos quos occulto suo judicio Deus punit subsequenti & extraordinariâ induratione, qualis fuit Pharaonis, & illa cujus fit mentio Rom: i, 24. ix, 18. sed eos qui in ordinaria & nativa duritie constituti, videbantur cæteris remotiores à regno cœlorum: Quamvis enim ordinaria & nativa durities sit omnium æqualis originaliter, tamen actualiter, pro ratione institutionis, exemplorum, & aliarum circumstantiarum suscipit magis & minus, quod etiam colligitur ex Matth: xi, 21. 22.

Sed solum timendi] Timor anxietatis & diffidentiæ est eliminandus à piis, sed retinendus timor sollicitudinis & vigilantiæ, cui optimè

cum

cum spe certa & fiducia salutis convenit Phil: II, 12. 13. Et fides medium tenet inter securitatem carnalem & timorem servilem, *quo* scilicet *anima timet ne damnetur*, non eum *quo* duntaxat *timet ne deseratur*, juxta Augustini distinctionem *tract. 9. in ep. Ioh.* quod credo hîc sibi voluisse Doctum Virum; Aliàs non nescivit quid de Fidei & consequenter ad illam Charitatis securitate, omnem metum expellente, dixerit Apostolus 1. Joh: IV, 18. *Cùm* enim, ut *ibid.* Augustinus habet, *caperit charitas habitare, pellitur timor; Quantum illa crescit, ille decrescit; & quantum illa fit interior, timor pellitur foras: major charitas, minor timor; minor charitas, major timor. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur: seta prius intrat, sed nisi exeat non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit ut introduceret charitatem: Iam factâ securitate in animo, quale gaudium nobis est vel in hoc, vel in futuro saculo? Et in hoc saculo quis nobis nocebit plenis charitate!*

43. *'Annon certiores essemus, si nostra salus nonnisi ex nobis penderet?*

Non: Multò enim amplius de nobis debemus diffidere, quam de Deo, qui nos magis amat quam ipsi nosmet amamus, & in incerto præstat se committere directioni Dei quam nostræ.

‡ *Non: Multò*] Populari objectioni populariter respondetur: Aliàs enim nulla securitas potest ei concedi qui arundini quassatæ suarum virium innititur; & omninò blasphema est doctrina Toleti Jesuitæ purpurati statuentis *lib. 4. Inst. Sacerd. cap. 7. gravius* multò esse peccatum ejus *qui vult beatitudinem solâ divinâ misericordiâ consequendam*, absque suis meritis, peccato illius *qui vult beatitudinem tanquam debitam suis meritis naturalibus, absque Dei Gratia & suis viribus consequendam*: E contrario absolutè tutus est qui se totum committit Deo; memor illius Augustini *in Psal. 88. Hoc promisit Deus, hoc dixit Deus; si parum est, hoc juravit Deus. Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam, firma est ejus promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare unde non potest dubitare.* Et quis non miretur scotoma quo ingrati Jesuitæ à Deo percutiuntur? Ut ex hac objectione liquet, putarent

ſe tutiùs confecturos ſuam ſalutem, ſi ſibi liceret ſolis eſſe fabris ſuæ fortunæ, quam ſi in ſolidum ſe Dei Gratiæ permitterent: ut in illis non minus quam in Pelagij reliquiis miretur Auguſtinus *de præd. Sanct. cap. 11.* homines *infirmitati ſuæ ſe malle committere quam firmitati promiſſionis Dei.* Et aliquando putant plus certitudinis ſe conſequi ex cultu B. Mariæ, quam ex Gratia & Redemptione Chriſti: Hinc Bineti liber *de notis Prædeſtinationis ex cultu B. Virginis*, & quod Drexelio in *Memoriali æternitatis*, laudatur illud S. Elzearij apud Surium 27. Sept. *Sum Mariæ cliens; Ergo malè perire aut cœlo excidere non poſſum:* Quod ſi quis apud eos diceret, Ego ſum à Chriſto redemptus, & ſoli ejus Gratiæ & beneficio me committo, quare malè perire aut cœlo excidere non poſſum, is ſtatim Hæreticorum & Prædeſtinianorum ſuperlativorum albo inſcriberetur.

44. *Numquid hæc doctrina homines facit ſuæ ſalutis negligentes?*

Non: Cùm enim ab una parte non ſimus certi Gratiam nobis denegatum iri, & ab altera illi cooperari teneamur, ſic agere debemus ac ſi Gratia ſemper adeſſet, & rei ſumma penderet ex nobis. Debemus gradiri inter deſidiam & ſuperbiam; Deus ita eſt rogandus ac ſi totum ex ipſo pendeat; & ſic agendum, ac ſi totum pendeat ex nobis. Atque id ipſum eſt quod nos docet Scriptura exemplis Jacobi, Moſis, Joſuæ & aliorum Sanctorum, quibus cum innotuiſſet per expreſſam revelationem Deum pro ſe pugnaturum & victoriam ſibi conceſſurum, nihilominus ſic agebant ac ſi totum in ſua poteſtate fuiſſet.

‡ *Non: Cùm enim*] Quæ hîc refutatur objectio Jeſuitica, ut & duæ præcedentes, veterem Pelagianorum & Semipelagianorum coccyſmum continent, ut obſervatum Janſenio *Paralleli ſui cap. 1. notâ 4. 5. 6. & ſeqq.* Probat enim Maſſilienſes & Jeſuitas, reliquias utroſque Pelagii, conſentire in oppugnanda doctrina hac Gratiæ, his argumentis, quod *ea adſerat deſperationem, inducat ſocordiam, teporem & ignaviam, ſtudium retundat virtutis, incitet homines ad licentiam & diſſolutionem*

solutionem vita &c. Quin tantum abest ut socordiam inducat Gratia, ut è contrario uni Gratiæ acceptum ferendum sit quicquid diligentiæ & alacritatis in salute nostra promovenda impendimus.

Non simus certi] Sed è contrario si honestus nos capiat impetus benè agendi, eo ipso certi reddimur nos agi à Spiritu Dei, adeoque sanctæ illius inspirationi esse obsequendum.

Illi cooperari] Hæc vox è trivio Theologiæ Pontificiæ desumpta, cum grano salis hîc sumi debet ex ipsius Authoris mente: Cùm enim uni Gratiæ tribuat cum Paulo & Augustino & *velle* & *perficere*, per hanc vocem noluit introducere collateralitatem Gratiæ & Arbitrij, quam Synergistæ & Jesuitæ sunt commenti, sed duntaxat hominis regeniti ad Gratiæ Divinæ inspirationem suboperationem, quâ agit actus; ac uno verbo Augustini doctrinam instillare quam habet *lib. de grat. & lib. arbit. cap. 15. Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens; propter quod ait Apostolus, Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Iesu Christi: Vt ergò velimus sine nobis operatur; cùm autem volumus & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur; tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Ac si Gratia] Optimè; Nam revera adest quoties vel agimus, vel etiam agere volumus aut cogitamus, eo quod sine illa nihil possimus Joh: xv, 5. 2. Cor: III, 5.

Penderet ex nobis] Ut revera omne bonum opus à nobis pendet & nostrum est subjectivè & denominativè, à Dei Gratia efficienter & operativè: Sumus *principium quod* omnis boni quod agimus, sed Gratia Dei est *principium quo* illud agimus, & quo deficiente aut cessante nihil nisi malum ageremus. Ita igitur est imploranda Dei Gratia ab benè agendum, ut semper nostrum esse sub illius ductu, motu & inspiratione agere, meminerimus.

Atque id ipsum] Sic igitur liquet certitudinem non solum *objectivam* Prædestinationis & salutis, sed etiam *subjectivam*, quam ex fidei πεποιθήσει & πληροφορίᾳ contra Adversarios defendimus, nullo modo inducere, ut vulgò clamitant, desidiam in bonis operibus, precum neglectum & securitatem carnalem. Tantum enim abest ut certitudo finis & eventus negligentiam inducat mediorum, ut è contrario nunquam alacriùs & diligentiùs adhibeantur media, quam ubi

ubi certi ſumus de fœlici ſucceſſu per illa eventuro. Nunquam promptiùs ſumitur pharmacum, quam ubi medicus fidem facit nos per illud convalituros.

45. *Poteſt-ne hæc doctrina utiliter proponi populo?*

Ita: Eſt utiliſſima ad nos humiliandos & faciendum ut cum timore & tremore ſalutem noſtram conficiamus, ac propriarum virium abjectâ fiduciâ uni Deo confidamus: Docet nos quantum illi ſumus obſtricti, quod nos ad fidem & Gratiam evocarit; nobis indulgendo ſalutis conſequendæ media quæ omnes non habent. Concedendum tamen quod ſicut hæc doctrina ſublimiorum myſteriorum Sapientiæ Divinæ nos expreſſè ſpectat, ita multâ præcautione opus eſt in ea publicanda, ne quicquam minuatur de veritate, aut ij obruantur qui ejus pondus ferre nequeunt.

† *Ita: Eſt utiliſſima*] In hoc Erotemate omnia ſatis plana ſunt: Nam Schola Gratiæ Schola eſt humilitatis, fiduciæ, gratitudinis; Ut Schola Pelagianorum & Jeſuitarum Schola eſt ſuperbiæ, anxietatis, ingratitudinis: Coincidit quod hîc dicitur cum eo quod habet noſtra Synodus Dordracena *in primo Doct: cap. art. 15.* quod ſicut hæc doctrina *ſapientiſſimo Dei conſiliò, per Prophetas, Chriſtum ipſius, atque Apoſtolos, ſub Veteri atque ſub Novo Teſtamento, eſt prædicata, & ſacrarum deinde literarum monumentis commendata, ita & hodie in Eccleſia Dei, cui ea peculiariter eſt deſtinata, cum Spiritu diſcretionis, ſuo loco & tempore, miſſâ omni curioſâ viarum Altiſſimi ſcrutatione, eſt proponenda, idque ad ſanctiſſimi nominis Divini gloriam, & vividum populi ipſius ſolatium.* Et voluit hoc loco Vir Doctus politicorum eorum refutare argumentum, qui hanc doctrinam utut veram, premendam tamen in Jeſuitarum gratiam ſtatuunt, prout Grotius quondam in ſua *Pietate Ordinum Holl.* eandem in ſuorum Remonſtrantium gratiam ſupprimi voluiſſet. Quin ipſimet Jeſuitæ hoc axiomate ſuas regunt congregationes, ut ſollicitè à Dei Gratia nimium inculcanda & commendanda ſibi caveant, uti ex earum Congregationum regulis manuſcriptis publicè

constitit apud Venetos, cùm eorum schedæ excuterentur & ipsi omni Venetum ditione exterminarentur.

46. *Videtur ergo non esse necessarium homines adhortari ad benè agendum: Si enim ipsis Gratia obtigit, infallibiliter benè agent, absque ulla exhortatione; Si vero hæc Gratia denegetur, nunquam agent, quæcunque exhortatio adhibeatur.*

Non desistendum ab exhortandis hominibus; 1. Ut cognoscant quod debent agere: 2. Cùm non dignoscamus illos quibus Deus suam Gratiam indulget ex mera Misericordia, ab ijs quibus eam denegat ex Justitia, generatim sermones & adhortationes nostras debemus ad omnes eos qui nos audiunt dirigere, ac si singuli eorum Gratiam reciperent. 3. Deus sæpè conjungit Gratiam internam Gratiæ externæ, cujusmodi est exhortatio; cor alloquitur cum præco Verbi ferit aurem; & eo casu utilissimæ sunt exhortationes illis ad quos fiunt.

† *Non desistendum*] Et hîc respondetur objectioni quam Jesuitæ ex Reliquijs Pelagij hauserunt, ut iterum *in parallelo* suo demonstrat Jansenius *notâ 11.* collatis inter se Lessij Jesuitæ & Massiliensium verbis, prout & antea fecerat *lib. 10. de Gratia Christi Salvat. cap. 9.*

1. Vt cognoscant] Verbum enim Dei quod annunciatur hominibus non est mensura virium suarum, sed norma officij ad quod tenentur; & per illud annunciatum magis inexcusabiles redduntur reprobi, cùm causam ignorantiæ suis peccatis prætexere non possunt; Electi verò ad fidem & obedientiam traducuntur, Deo intus efficiente per Gratiam id ipsum quod externè per verbum postulabat; *Fac Domine quod jubes, & jube quod vis.*

2. Cum non dignoscamus] Scilicet boni Euangelistæ est defungi cordatè suo munere & eventum prædicationis suæ Deo committere: Paulus plantet, riget Apollos, Deo relinquatur successus & incremen-

crementum. Id ipſum dicit Auguſtinus *de corr. & gratia cap. ult. Quantum ad nos pertinet qui prædeſtinatos à non prædeſtinatis diſcernere non valemus & ob hoc omnes ſalvos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda eſt à nobis medicinaliter ſevera correptio; Dei eſt autem illis eam facere utilem quos ipſe præſcivit & prædeſtinavit conformes imaginis filij ſui.*

3. *Deus ſæpè conjungit*] Imò ipſa Euangelij prædicatio ideo appellatur *Miniſterium Spiritus* 2. Cor: III, 8. Ac prout *fides eſt ex auditu* Rom: x, 17. ita organum ordinarium Spiritus Sancti ad fidem in nobis producendam & Gratiam ſuam in cordibus noſtris explicandam, eſt auditus & prædicatio Euangelij, uti tota docet Scriptura Act: x, 44. XIII, 48. XVI, 14. Rom: I, 16. Jac: I, 18. & paſſim: Sic enim vox Dei externè imperativa, accedente per illam internâ Dei Gratiâ, fit operativa, & tum corde compunguntur qui audiunt Dei verbum, ut in Pentecoſte Act: II, 37. & ſibi mutuo dicunt de Verbi Divini præcone, ut illi duo Emauntici diſcipuli Luc: XXIV, 32. *Nonne cor noſtrum ardebat in nobis dum loqueretur nobis in via & quùm adaperiret nobis Scripturas?*

47. *Si non fecerint homines quod præceptum ipſis eſt destituti Gratiâ illius exequendi poſſunt-ne corripi de ſuis peccatis?*

Ita, ut S. Paulus docet, cùm propoſitâ magnâ hac magnique momenti veritate, Deum miſereri cujus vult & quem vult indurare, ſibi objicit quaſi impiorum nomine, Quid igitur Deus adhuc queritur; Voluntati enim ejus quis poteſt reſiſtere? id-eſt, ut explicat S. Auguſtinus, Quare Deus queritur quod ſe malâ noſtrâ vitâ offendimus, quandoquidem ab ipſo non recepimus Gratiam benè vivendi. Quod ſi juſta foret hæc excuſatio, qui liberantur ex peccato non liberarentur merâ Gratiâ, ut fides certò ſtatuit, ſed juſtitiâ iſtius excuſationis: Atqui hæc excuſatio nec juſta eſt, nec admiſſibilis coram Deo, quoniam ab una parte Gratia, cùm ſit Gratia, nemini debetur; & ex juſtitia

ex justitia fit quod non detur omnibus ijs quibus non datur, in pœnam peccati sui vel originalis vel actualis; ab altera vero parte qui peccant, non peccant nisi suâ culpâ, propriâ suâ concupiscentiâ & malâ sua voluntate; Correptio igitur non potest non esse justa & utilis.

† *Ita; ut S. Paulus*] Locus est notus Rom: IX, 18. 19. Et hîc continuat author objectiunculas Jesuitarum refutare quas ex Pelagianis & Massiliensibus hauserunt, ut de hac nominatim ostensum à Jansenio *notâ 11. & 24. sui Paralleli.*

Vt explicat S. Aug.] Multa hîc ex Augustino possent ad hanc rem congeri. Nam *Enchir. cap. 99.* dicit illud *Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit*, objici *tanquam propterea malus non videatur culpandus, quia Deus cujus vult miseretur & quem vult obdurat.* Et *lib. de corrept. & grat. cap. 13. Patiantur homines se corripi quando peccant, nec de ipsa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia contra correptionem; quia & peccatis justa pœna debetur, & ad ipsam pertinet justa correptio quæ medicinaliter adhibetur, etiamsi salus ægrotantis incerta est; Vt si is qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet sit ei correptio salubre medicamentum, si autem non pertinet, sit ei correptio pœnale tormentum: Sub isto ergo incerto ex charitate adhibenda est, cujus exitus ignoratur, & pro illo cui adhibetur, orandum ut sanetur.* Sed Author noster videtur potissimum respexisse ad ea Augustini verba quæ extant *lib. 1. ad Simplic. q. 2. Hujus impudentiam quæstionis ita retundit Apostolus, Homo tu quis es qui respondeas Deo? Sic enim respondet Deo cum ei hoc displicet quod de peccatoribus conqueritur Deus, quasi quemquam Deus peccare cogat, si tantummodo quibusdam peccantibus misericordiam justificationis suæ non largiatur, & ob hoc dicatur obdurare peccatores quosdam, quia eorum non miseretur* &c. Et paullò post, *Conqueritur autem justè de peccatoribus tanquam de his quos peccare ipse non cogit; simul etiam ut hi quorum miseretur hanc quoque habeant vocationem, ut dum conqueritur Deus de peccatoribus compungantur corde, atque ad ejus Gratiam convertantur.*

Quod si justa] Sanè si peccator in suis criminibus hanc Lyconidis apud Plautum excusationem posset prætexere, *Deus impulsor fuit,*

credo Deos voluisse, & in voluntatem Dei suorum peccatorum culpam rejicere, eo ipso deberet extra reatum poni, non vero indebitæ Dei Gratiæ ejus liberatio & indemnitas adscribi.

Quoniam ab una parte] *Sunt* enim *omnes homines* (ut loquitur Augustinus *ad Simpl. l. 1. q. 2.*) *quandoquidem ut Apostolus ait, in Adam omnes moriuntur, à quo in universum genus humanum origo ducitur offensionis Dei, una quadam massa peccati supplicium debens Divina summaque justitia, quod sive exigatur, sive donetur, nulla est iniquitas.* Et per consequens, *sive quando adjuvat misericorditer facit, sive quando non adjuvat, justè facit,* ut idem habet *tract. 53. in Ioh.* adeo *ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis conqueratur, Enchir. cap. 99.*

Qui peccant] Licet necessariò peccent, tamen non peccant coacti sed volentes; *Quod nos à Deo avertimus nostrum est, & hac est voluntas mala; Quod verò nos ad Deum convertimus, nisi ipso excitante & adjuvante non possumus, & hac est voluntas bona*, inquit Augustinus *lib. 2. de peccat. meritis cap. 18.* Inde *in Solil. cap. 13.* *Quod cecidi fuit ex me, & quod surrexi fuit ex te.* Etenim ut idem habet *contra Cresconium lib. 3. cap. 51. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, sed nec bonam infructuosam, nec malam voluit esse impunitam.*


Catechismi

Catechismi Gratiæ Jansenitarum, cum Scholijs ad illum,

Caput Sextum:

DE PECCATO ORIGINALI.

48. *Quid est peccatum originale?*



Est peccatum primi parentis, quod transit in omnes ejus posteros; Est concupiscentia Criminalis quæ homines privat Gratiâ, avertit à Creatore & addicit Creaturæ, subjicit morti & reddit obnoxios omnibus pœnis & miseriis quas patiuntur tùm in suis corporibus, tum in suis animis, tum in hac vita, tum in futura.

‡ *Est peccatum*) Hoc originale peccatum, *quo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius,* ut aït Augustinus *de morib. Eccl. Cath. cap. 12.* plurimis demonstratur argumentis ex Scriptura desumptis; videantur speciatim loca Gen: v, 3. vi, 5. viii, 21. Job xiv, 4. Psal: li, 7. Joh: iii, 6. Rom: v, 12. 14. 1 Cor: xv, 22. Eph: ii, 35. Hinc & puerperarum purificationes lege institutæ, & puerorum octiduanorum præscripta circumcisio, & involuntariæ quoque gonorrhææ immunditia legalis; quibus omnibus generationi naturali, partui, semini hominum, aliquid inesse vitij & corruptionis Dominus testabatur: nec baptizandi forent infantes fœderatorum, nisi aliquid sordium in sua generatione naturali contraxissent, quod beneficio regenerationis spiritualis, de qua Joh: iii, 5. veniat eluendum. Prout autem Pelagius totis viribus nativam hanc corruptionem inficiari studebat, quod eam sentiret cum ingratis suis dogmatis ex adverso pugnare, ita quotquot in ejus sententiam vel palàm vel tectiùs ire hactenus voluerunt, idem vitium vel simpliciter negare, vel elevare conati sunt. Ita enim hodie Sociniani, Anabaptistæ, Weigeliani, peccatum originale absolutè negant. Remonstrantes etiam qui *in sua Confess. cap. 7.* illud utcunque confitebantur, licet nollent Reprobationis decretum in illo fundari, postea in pejus proficientes, satius

putarunt illud ſimpliciter rejicere, ut ſit expreſſè ac fuſè tùm ab Epiſcopio *Inſtitut. Theol. lib.5. cap.2.* tùm à Curcellæo *in tract. de Iure Dei*, *cap.11.* Jeſuitæ non auſi illud abſolutè negare, aut tanquam merum Auguſtini commentum repudiare, cùm non neſcirent eam communem fuiſſe ab ævo, imò & ante ortas Controverſias Pelagianas, Eccleſiæ Catholicæ ſententiam, ut contra Julianum *lib.1. cap.2.* ipſe Auguſtinus prolixè demonſtravit, ſaltem illud omni ope ſtuduerunt elevare; I. Quoad intrinſecum ejus meritum & pœnas illi ex ordine Juſtitię Divinæ debitas; Unde infantes cum peccato originali mortuos eximunt pœnæ ſenſus, & in eorum gratiam fabricati ſunt limbum puerorum, *carcerem* quidem infernalem, ſed *lucidum & amœnum*, in quo, vel etiam *in his terris*, *poſt diem judicij*, fruituri ſint *ſtatu commodiore quam ſit alicujus hominis mortalis in hac vita*, ut placuit meo Tirino *Contr. xi. n.10.* licet peccati ſtipendium ſit *mors* Rom: vi, 23. II. Quoad ejus effecta & conſequentia neceſſaria; Negant enim per illud amiſſum eſſe liberum arbitrium, ideſt facultatem benè agendi, ut *ibid.* Tirinus; contra expreſſa Scripturæ teſtimonia, quæ paſſim homini ſub peccati ſervitute tribuunt & benè agendi impotentiam, & neceſſitatem malè agendi ex inſita illa corruptione; & dictum celebre Auguſtini *Enchir.cap.30. Libero arbitrio malè utens homo & ſe perdidit & ipſum.* III. Quoad illius extenſionem; Siquidem cum Scotiſtis, ſed contra Paulum qui *omnes* in Adamo peccaſſe teſtatur Rom: v, 12. mordicùs immunitatem B. Virginis à peccato originali tuentur; quod factum operoſè à Bellarmino, ut cœteros mittam, *lib.4. de Amiſſ. gratiæ & ſtatu peccat. cap. 15. & ſeqq.* IV. Quoad illius propagationem; Nec enim bonâ fide eam admittunt per quam jure & lege generationis neceſſariò in ſingulos illa traducatur habitualis corruptio quâ formaliter & inhæſivè peccatores ſint & dicantur; ſed partim ſtatuunt cum Tirino *V. S. n. 7.* peccatum originale nihil aliud eſſe quam *actualem inobedientiam Adami, non ipſius tantum ſed & noſtrûm omnium nomine commiſſa*, quæ *morali æſtimatione tamdiu perſeverat, donec ſingulis remittatur*; partim rationem omnem iſtius propagationis, ex *pacto* cum Adamo inito arceſſunt, nihilque ad illam requirunt niſi ut natura humana ex Adamo verâ generatione deſcendat, ut videre eſt apud Bellarminum *lib. 4. de ſtatu pecc. cap. 12.* qui ideo cum ſuis gregalibus vapulat Janſenio *lib. 1. de ſtatu nat. lapſæ cap. 5. & ſeqq.*

& seqq. quod Augustini sententiam hac in re non *esse ferendam* statuant. Est equidem agnoscendum *pactum* initum fuisse divinitùs cum Adamo, caput & stirpem illum futurum totius generis humani, cui per consequens vel staret vel laberetur; potuissent enim alij homines independenter ab ipso creari, ut factum in Angelis, sic collateralibus in eadem specie, ut immediatè omnes à Deo producti sint, nec pendeant ab ullo communi speciei suæ principio: Sed posito quod ex uno illo sanguine omnes homines nasci debuerint Act:XVII,26. illud quoque statuendum quod lege generationis univocæ ac per illam causaliter, secundum id quod omne generans univocum sibi simile generat, necessariò propagetur & transfundatur habitualis illa corruptio quam primi parentes contraxerunt peccando, & quam ne ipsi quidem regeniti unquam nisi in morte exuunt: ut hic pedibus manibusque eamus in Augustini sententiam *lib. 5. adversus Iul. cap. 3. Profectò aut utrumque vitiatum ex homine trahitur*, (nempe anima simul & corpus) *aut alterum in altero tanquam in vase vitiato corrumpitur, ubi occultâ justitiâ divinæ legis includitur. Quid autem sit horum libentiùs disco quam dico, ne audeam docere quod nescio.* Quin videtur niti hoc falso principio transfusionis peccati originalis ex pacto potiùs, quam ex lege generationis, lemma *capitis 13. lib.4.* Bellarminiani *de Amiss. gr. & statu pecc. Non ab Heva sed à solo Adamo peccatum originale trahi*; Imò *cap.8.* asserit *peccatum Adami non Hevæ traduci in posteris*, idq; ex Anabaptistica & Marcionitica suppositione, quod solus *Vir sit causa activa generationis mulier* vero tantum *passiva*; cùm tamen non minus matrem quam patrem ad peccati originalis propagationem concurrere testetur David Psal: LI,7. V. Quoad formalem illius rationem; *Cave* enim *dixeris*, inquit Tirinus *V. S. n. 6. peccatum originale esse ipsos naturales nostros defectus, v.g. ignorantiam in intellectu, Concupiscentiam vel pronitatem in malum in voluntate, quia hæc non sunt peccata, neque voluntaria seu in se seu in causa, neque tolluntur per baptismum, neque impediunt justitiam.* Similia habet Bellarminus *lib. 5. de Amiss. gr. & statu pecc. cap.7.* qui etiam ceu *errorem Lutheranorum & Calvinistarum* rejicit sententiam quæ statuit *naturæ corruptionem sive concupiscentiam esse peccatum originis*; licet id doceat constanter Scriptura quæ *Concupiscentiæ* nomine intelligit vitium illud internè hærens quod hominem incitat ad omne peccatum, uti patet ex Rom:VII,7.8. VIII,16.23. Gal:V,17. Jac:I,14. Cùm

igitur Eruditissimus noster Jansenita videret Jesuitas, (quibus jam olim in causa Gotteschalci hac etiam in parte præluserat Johannes Erigena Scotus, quem Prudentius Tricassinus, Florus Magister, & tota Ecclesia Lugdunensis solidè suo tempore refutarunt, ut liquet ex eorum monumentis ab Amplissimo Præside Mauguin editis,) multis modis elevare originale peccatum, quò faciliùs liberi arbitrij vires in natura corrupta defendant, & gratiæ necessitatem efficaciam rejiciant, jure meritò censuit orthodoxam de originali labe sententiam sic ad hanc Gratię causam pertinere, ut illa collabente hæc stare nequeat.

Primi parentis] Non exclusâ sed inclusâ primâ parente, cujus partes non minus agnoscendę in peccati propagatione quam in illius prima introductione: Quod enim Jesus Christus, ut ut ex *muliere factus* Gal: IV, 4. nihil labis originalis contraxit ex matre, non ideo factum est, vel quòd mulier sive mater nihil conferat ad illius propagationem, vel quòd ipsa B. Virgo peccato originali caruerit, ut volunt utrumque Jesuitæ; sed quod modo supernaturali & planè miraculoso ex matre Virgine absque semine virili sit natus & ex Spiritu Sancto conceptus; unde non pollutum sed *sanctum* debuit esse id quod ex illa nasciturum vocandum erat *Filius Dei* Luc: 1,35.

Quod transit] Peccatum primorum parentum dupliciter potest considerari, vel numericè, & ut sonat actualem eorum transgressionem, vel specificè, & ut significat habitualem eorum corruptionem quam suâ inobedientiâ contraxerunt: priori sensu transit ad eorum posteros per imputationem; sed posteriori sensu propagatur ad singulos per generationem; quomodo morbi hæreditarij, ut sunt elephantiasis, calculus, podagra, transeunt à parentibus in filios, & sicut æthiopes nigros gignunt, crispi crispos.

In omnes] Naturali ratione & per generationem ordinariam & univocam ab ipso propagatos: quod tam verè ipsi competit B. Virgini, quæ aliàs nisi periisset in Adamo primo, nec morti fuisset obnoxia nec Redemptore Christo eguisset, quam non potest extendi ad Christum; qui nec *personaliter* est ab Adamo, cùm non sit persona humana; nec viâ ordinariæ & univocæ generationis ex commixtione maris & fœminæ editus est, quippe conceptus ex Spiritu Sancto, & natus & Virgine; nec erat in lumbis Adæ cùm peccavit: licet enim

enim ex Adamo quoque trahat originem, tamen non eſt conceptus & natus vi prioris illius benedictionis quę peccatum præceſſit, *Creſcite & multiplicamini*, ſed vi gratuitæ illius promiſſionis quæ peccatum ſubſequuta eſt, *Semen mulieris conteret caput ſerpentis.*

Eſt concupiſcentia] Hanc fuiſſe ſententiam Auguſtini, cui hodierni Jeſuitæ ſe opponunt, fuſè docet Janſenius *de ſtatu naturæ lap. cap. 1. & ſeqq.* ita ut, inquit ille, nomine concupiſcentiæ intelligat *non ſolam libidinem illam quâ vel obſcœnæ partes corporis excitantur, vel intus ipſe animus ad concubitum inhiat, ſed omninò omnes cupiditates animi quibus homo ad peccata propellitur & provocatur, ſive illa carne, ſive ſolo animo peragantur.* Nec dubium quin juxta phraſim Apoſtolicam, concupiſcentia, caro, lex membrorum, corpus peccati, φρόνημα σαρκὸς, ſint ſynonyma; Carnis autem fructibus etiam accenſentur hæreſes, æmulationes, & ſimilia, quæ *ſpiritualia* peccata cenſeri ſolent, 1 Cor:III, 3. Gal:V, 19. Hinc quod Rabbinis dicitur יצר הרע, item יצר הטארח, reddunt Lexicographi, Concupiſcentiam malam; de quo videſis Lexicon Thalmudico-Rabbinicum Buxtorfij *ad vocem* יצר & Galatinum *lib. 6. de Arcanis cap. 5.* Hîc igitur doctiſſimus Catechiſtes id aſſerit de peccato originali poſt Auguſtinum, (qui etiam hoc ſuum dogma *veritatem Catholicam* appellat, ac *impiam novitatem* aſſertionem contrariam, ut monet & probat Janſenius *lib. 1. de ſtatu nat. lap. cap. 14.*) quod Jeſuitæ ſtatuunt errorem eſſe communem *omnibus Lutheranis & Calviniſtis* ut inſuper loquitur Bellarminus *lib. 5. de amiſſ. gr. & ſtatu pec. cap. 5.* in lemmate capitis: unde Becanus *in 2. p. Th. Sch. tract. 2. cap. 9. quæſt. 3.* hanc quæſtionem *An peccatum originale ſit concupiſcentia*, quaſi contra Lutheranos & Calviniſtas concludit negativè. Utris vero credemus, an Apoſtolo & Auguſtino, ac Janſenitis ex illis, ſtatuentibus Concupiſcentiam in actu primo eſſe verè & propriè peccatum; an Ieſuitis ex Conciliabulo ſuo Tridentino, *Seſſ. 5. Can. 5.* impudenter & imprudenter aſſerentibus ſub Anathematis pœna, *hanc concupiſcentiam quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum ſit.*

Privat Gratiâ] Tùm *meritoriè*, quatènus Deus juſtè auxilium gratiæ ſuæ indebitum negat homini hac labe originali inquinato, ut nemo queri poſſit de Deo quod ſalutis Gratiam ſibi non indulſerit::

Tùm *formaliter*, quatenus habitualis illa corruptio, per quam homines evaserunt proni ad omne malum, inutiles ad omne bonum, in suo conceptu sonat non meram carentiam aut negationem, sed propriè dictam privationem justitiæ originalis debitæ inesse, quam suo sensu Gratiam Dei fuisse *primo cap.* hujus Catechesmi visum est; adeoque in illius locum substitutionem concupiscentiæ ejus quæ instar gravissimi ponderis animæ superadditi eam à cœlestibus & spiritualibus avocat atque ad terrena & carnalia penitùs deprimit.

Subjicit morti] Atque sit ex dicto Apostoli Rom: VI, 23. *Stipendium peccati mors est*, veram & propriè dictam rationem peccati habet: Sed de eo plura ad *Erotema 59*.

Et reddit obnoxios] Adeoque non tantum pœnæ *damni* in limbo, ut volunt Jesuitæ, tertium illum locum ex Pelagij placitis fabricati, sed etiam *sensus* in gehenna & inferno; Ideo Augustinus sic loquitur *lib. 1. de pecc. meritis & rem. cap. 28. Non est ullus ulli medius locus ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo.* Et *serm. 14. de verbis Apost. Nullus relictus est medius locus ubi ponere quæras infantes*; (qui in peccato originali moriuntur) *De vivis & mortuis judicabitur; alij erunt ad dextram alij ad sinistram: Non novi aliud: Qui inducis medium, recede de medio; non te offendat qui dextram quærit & teipsum admonet; recede de medio, sed noli in sinistram. Si ergo dextra erit & sinistra & nullum medium locum in Euangelio novimus, Ecce in dextra regnum cœlorum est; Qui ibi non est in sinistra est: Quid erit in sinistra? Ite in ignem æternum. Qui non in dextra proculdubio in sinistra; Ergo qui non in regnum proculdubio in ignem æternum.* Ita Fulgentius *de fide ad Pet. Diac. cap. 27.* eosdem infantes statuit ex solius peccati originalis merito, etsi *propriæ actionis peccatum nullum habuerint, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos*: & Author *Hypognosticôn lib. 5. Primum locum fides Catholicorum divinâ authoritate regnum credit esse cœlorum; Secundum gehennam ubi omnis à Christi fide alienus æterna supplicia experietur. Tertium penitùs ignoramus, imo nec esse in Scripturis sanctis invenimus.* Quamvis autem Augustini imo Pauli hac in parte sententię, quam solus è Scholasticis Gregorius Ariminensis, inde cœteris dictus *Tormentum infantium* sequutus est, nemo suffragatus sit in Conciabulo Tridentino, ut notat Scriptor *Hist. Concil. Trid. lib. 2.* patribus infectis etiam hac in parte Jesuitarum tùm subnascentium veneno, tamen causâ Gratiæ resurgente, & originali peccato ad

eato ad veritatis lancem expenso, cœpit & illa sententia unà defendi, ut hîc fit ad Erudito Catechista, cui antea præluxerunt & Jansenius ipse *de statu nat. lap. cap. ult.* & Jansenio citatus ac laudatus Florentius Contius Archiepiscopus Tuamensis, qui expresso Tractatu Lovanij edito anno 1624. *perquam accuratè demonstravit*, parvulos irregenitos, cujusmodi statuimus esse non fœderatorum liberos quibus nullum jus competit ad baptismum ut liberis nostris ex Act:11,39. 1 Cor:vii, 14. *pœnis non tantum damni, sed sensibilibus & quidem æterni ignis secundum S. Augustini doctrinam plecti.*

49. *Quomodo transit hoc peccatum ex primo homine ad illius posteros?*

Sicut ex scaturigine corrupta fluunt rivi infecti, & mali sunt fructus ex mala radice prodeuntes; ita ex primo homine peccatore, non alij poterant nasci liberi quam peccatores ut ipse est.

‡ *Sicut ex scaturigine*] Ista ergo propagatio non pendet vel ex solo Dei arbitrio & *pacto* imaginario Jesuitarum, sed ex lege generationis, juxta quam Adam viceversâ genuisset filios justitiâ originali præditos si in illa permansisset. Huc faciunt loca ante citata Gen: v, 3. Job xiv, 4. Joh:iii,6. Cùm autem propagetur hoc peccatum etiam per parentes baptizatos & regenitos, prout sub lege pater circumcisus filium præputiatum generabat, hinc sequitur verè ac benè dictum ab Augustino, hoc peccatum in fidelibus transire *reatu*, sed *actu* manere, ut loquitur *lib. 1. de nupt. & conc. cap. 26.* Interea si inquirendum veniat circa modum specialiorem illius propagationis, & ut vulgò loquuntur, num fiat per animam vel per corpus, cum revera per neutrum fiat sed per generationem quæ est propriè suppositi & naturæ in illo propagatio, meminisse oportet ejus quod ad hanc rem habet Augustinus *Epist. 29. Eleganter dictum esse narratur quod huic rei satis aptè convenit. Cùm quidam ruisset in puteum, ubi tanta aqua erat ut eum magis exciperet ne moreretur, quam suffocaret ne loqueretur, accessit alius, & eo viso admirans ait; Quomodo huc cecidisti? At ille, Obsecro (inquit) cogita quomodo hinc me liberes, non quomodo huc ciciderim quæras. Ita quoniam fatemur & fide Catholicâ tenemus de reatu peccati tanquam de puteo*

etiam

etiam parvuli infantis animam Christi gratiâ liberandam, satis est ei quod modum quo salva fiat novimus, etiamsi nunquam quomodo in illud malum devenerit, noverimus.

50. *Est ne hoc peccatum voluntarium?*

Voluntarium erat in primo homine, qui illud liberrimè commisit: & prout in illo omnes includebamur, nonnisi unum solum hominem cum ipso constituentes, omnes in ipso peccavimus, & ex illo nascentes, necessariò contrahimus quod liberrimè commisit.

‡ *Voluntarium*] Hîc refutatur fundamentum Tirini & aliorum Jesuitarum quo pertendunt Concupiscentiam ideo peccatum originale non esse, quod voluntaria non sit; quo etiam argumento pugnasse Pelagianos videre est apud Augustinum *lib. 3. contra Iul. cap. 5.* & alibi sæpiùs. Non est quod hîc fusè disputemus *Voluntarium* ut sonat quod deliberatè & scienter fit non esse de peccati essentia, cùm multa quotidie subrepant peccata quæ ex incogitantia vel ignorantia aliqua committuntur; sed Voluntarij nomine latiùs sumpto, admittimus tantisper axioma Augustini *De Vera Relig. cap. 14. Usque adeo peccatum Voluntarium malum est ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*; & quamvis ab illa regula Augustinus excipiat peccatum illud quod etiam est pœna peccati, ut infra notabimus, nihilominus etiam hoc sensu potest statui peccatum originale Voluntarium trifariàm: *Antecedenter* in primo homine; *Subjectivè* in seipso; quatenus ipsam voluntatem aliasque animæ facultates inficit & depravat; *Consequenter* in fructibus quos profert, idest in peccatis actualibus quæ ex illo manant. Nec si Doctissimus Catechistes hoc loco conjungit imputationem primi peccati, quod eatenus censemur ultrò commisisse, quatenus omnes in Adamo ceu originis nostræ stirpe & fonte, per juris fictionem censebamur Rom: v, 12. eodem modo quo Levi in Abrahæ lumbis decimatus fuit Heb: vii, 9. cum habitus vitiosi per illud contracti propagatione per generationem, illas tamen confundere voluisse censendus est.

Et ex illo nascentes] Per ordinariam generationem & vi illius, eam labem

labem nativam ceu morbum hæreditarium contrahimus: Unde duplici reatu obſtringimur coram Deo; primùm eo qui fluit ex actuali peccato primorum parentum, quod licet actu tranſierit manet tamen reatu in omnibus, eo quod juſtè ſingulis ut ſuum à Deo imputetur; deinde illo qui fluit ex habituali corruptione, ſive ex originali concupiſcentia, quæ in ſingulos per generationem transfunditur.

Neceſſariò] Nempe *neceſſariò* & ineluctabiliter ſingulis noſtrûm ineſt illa vitioſitas, quam voluntariâ ſua tranſgreſſione primi noſtri parentes ſibi & ſuis omnibus contraxerunt: ut cùm quià voluntariâ ſuâ intemperie podagricus factus, hunc morbum neceſſariò tranſmittit ad ſuos poſteros, quos illi jam obnoxius deinceps genuerit. Porrò dum Vir Doctiſſimus ita loquitur, oſtendit quod in ſchola Doctorum Gratię & Veritatis ea non ſit pugna Voluntarij & Neceſſarij, quę vulgò jactatur in Scholis Pelagianis & Jeſuiticis; unde inter propoſitiones Baji à Pio v. & Gregorio XIII. damnatas in Jeſuitarum gratiam & hæc fuit, *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſario facit.*

51. *Quomodo peccatum illud eſt concupiſcentia, quandoquidem ipſum deletur per Baptiſmum, Concupiſcentia verò remanet?*

Concupiſcentia ex ſeipſa nos avertit à Deo, ab ipſo nos ſeparat, illius nos facit inimicos, atque ſic reos reddit. At reatu quem contrahimus ſublato per Gratiam ſanctificantem Baptiſmi, quæ nobis conferendo charitatem, ſive amorem Dei, nos ad Deum convertit, illa à Deo averſio per Gratiam tollitur, ſed Fundus illius averſionis manet: Eſt inſtar veteris maceriei dirutę, cujus lapides ſemper eodem loco manent, ſemper diſpoſiti ad eandem formam recipiendam; Eſt fax extincta, ſed quæ fumat adhuc, & facilè denuò accenditur.

‡ *Concupiſcentia*] Cœca reverentia quam Viri iſti Eruditi volunt videri deferre Concilij Tridentini decreto, quod *ſeſſ. 5. can. 5.* anathemate percellit eum qui aſſeruerit *in Baptiſmate non tolli totum id quod veram & propriam rationem peccati habet*, effecit ut hoc loco Catechiſtes

noster intricatiùs paulò loqueretur: Attamen si ejus steterimus principiis, nihil erit in his verbis quod Orthodoxum & verum sensum, non queat admittere. Etenim statuit I. Concupiscentiam esse peccatum originale. II. Illius esse nos à Deo avertere & reos facere mortis æternæ. III. Per gratiam justificationis in Christo, cujus signum & sigillum obtinemus in Baptismo, auferri illius reatum, ut scilicet nobis non imputetur ad pœnam & condemnationem coram Deo: Est sanè Reatus nihil aliud quam obligatio ad pœnam: Hæc vero consideratur vel in actu primo, ut sonat intrinsecum meritum culpæ ex jure Dei & legis sanctione; quo sensu respondet corporum gravitati, quæ illis inseparabiliter inest; vel in actu secundo, ut sonat actualem subjectionem & obnoxietatem pœnæ, sive ipsammet condemnationem in foro Divino; quo sensu respondet gravitationi corporum quæ ab illis separari potest: Nec enim semper gravitant quæ aliàs gravia sunt: Sic non gravitabant corpora Christi & Petri, utut in se gravia, cum inambularent aquis: & urinatores non sentiunt gravitatem aquæ supra se, quia aqua in propria sede non gravitat: Ablatio autem reatus quoad actum primum non potest fieri à culpa cui inseparabiliter inest: Quamdiu enim dicis culpam sive *ἀνομίαν* & quod legi adversatur, tamdiu dicis id quod ex jure Dei & legis sanctione meretur mortem: Sed fit ablatio reatus quoad actum secundum, cùm Deus peccatum remittit; hoc est indemnitatem largitur peccatori, nec pœnas illius culpæ debitas vult reposcere. Nec aliter intelligitur peccati remissio ab Augustino ipso *in Psal. 31. Quia totum gratia* Christi *imputatur, non meritis nostris, Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: non in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum sunt tecta peccata: Cooperta sunt peccata, & tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus noluit advertere: Si noluit advertere noluit animadvertere: si noluit animadvertere noluit punire; noluit agnoscere, maluit ignoscere. Tecta ergo peccata quare dixit? Vt non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire peccata?* Igitur ablatio reatus peccati originalis sive concupiscentiæ, nihil aliud est quam illius gratuita condonatio per sanguinem Christi, *non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur*, ut de ea re expressé dicit Augustinus *de nupt. & concup. lib. 1. cap. 25.* IV. Hanc ablationem reatus, idest hanc remissionem peccati originalis, deberi Gratiæ Christi, idque bi-

fariàm: Primò originaliter & efficienter; Profluit enim ex indebito Dei favore & amore in Christo, qui cùm non solum peccati originalis sed omnium aliorum nostrorum peccatorum pœnas in cruce sustinuerit, eo ipso nobis apud Patrem indemnitatem & immunitatem ab iisdem pœnis obtinuit Rom: VIII, 1. Deinde applicativè, obsignativè & consequenter; Nam iis quibus Deus decrevit remittere peccata per & propter Christum, idest quos revera constituit justificare gratis, confert etiam in tempore Spiritus sui Gratiam, quæ sententiam suam absolutoriam insinuet eorum conscientiis, & gratuitæ illius Remissionis sensum, fiduciam & certitudinem in ipsorum cordibus operetur, Rom: V, 1. 2. 3. Et quùm hæc Dei Gratia in suis non tantum insinuandæ Justificationi eorum destinetur, illisque dicendo in occulto cordis quod Christus paralytico Matt: IX, 2. *Confide fili remissa sunt tibi peccata tua*; sed etiam promovendæ intrinsecæ eorum Sanctificationi, & inhærentis concupiscentiæ jam condonatæ quoad reatum, viribus paulatim atterendis & coercendis, haud immeritò Gratia Dei, cui tribuitur ablatio reatus nostri, idest remissio peccatorum, etiam gratia *sanctificans* dicetur; licet Justificatio cujus fidem & certitudinem accendit, & quæ in reatus ablatione sita est, à Sanctificatione, quæ non reatum spectat sed maculam peccati, veniat distinguenda: Gratia igitur sanctificans aufert reatum, licet non formaliter quà sanctificans; cùm Reatus ablatio ad Iustificationem pertineat; ad Sanctificationem verò corruptionis nativæ coercitio & maculæ detersio. V. Hanc Dei Gratiam cui & peccatorum remissionem & Regenerationem in novam vitam, sivè Sanctificationem nostram, debemus, significari, obsignari, & suo sensu conferri in Baptismo; etsi nihil hîc *de opere operato* velit Vir Doctus à nobis somniari: Nam baptizamur ut in remissionem peccatorum Luc: III, 3. Act: II, 38. XXII, 16. sic etiam in renovationem per Spiritum Sanctum, quę paulatim procedit, & nonnisi in morte consummatur Tit: III, 5. 2 Cor: IV, 16. Utrumque beneficium & Iustificationis & Sanctificationis in Baptismo significari & obsignari, non minùs quam olim in Circumcisione Rom: IV, 11. Col: II, 11. satis expressè docet Paulus 1 Cor: VI, 16. VI. Per Regenerationis gratiam & Spiritum adoptionis excitari quidem in cordibus nostris Dei amorem & pietatis studium, cujus vi paulatim mortificatur

vetus homo, sed interim ipsam inhærentem Concupiscentiam manere *donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renovatione interioris hominis de die in diem, cum exterior induerit incorruptionem*, ut loquitur Augustinus *lib.1. de nupt. & conc. cap.25.* VII. Concupiscentiam quæ remanet in baptizatis, sive regenitis, esse verè & propriè concupiscentiam originalem, licet ablato jam reatu illius per sanguinem Christi ipsis non imputetur amplius ad condemnationem. *In eis enim qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum*, (inquit *ibid.* Augustinus *cap. 26.*) *utique necesse est ut reatus etiam hujus licet adhuc manentis concupiscentiæ remittatur, ut in peccatum non imputetur.* Etenim ille *fundus* qui remanet *aversionis à Deo*, ille verè fundus nostræ calamitatis, illa *affectio quædam mala qualitatis sicut languor*, uti dicitur Augustino, illa *fax* adhuc fumans & quæ denuò facilè accenditur, cum non sit *ex Patre sed ex mundo* 1 Joh:11,16. eo ipso inter mala moralia adeoque & peccata propriè dicta debet computari, ex Augustini & Jansenitarum principijs. Quapropter illam concupiscentiam remanentem in baptizatis etiam Deum odisse ex Augustino *in Psal. 35.* cogitur agnoscere Becanus *de pecc. orig. quæst. 3.* Igitur doctrina ipsa Viri Docti vera est & sana, etsi eam minùs explicitè proposuerit; quod non auderet palam & directè Conciliabuli Tridentini Anathematismis refragari, quamvis illos ex suis Principiis detestetur ac detestari debeat.

Est instar] Similitudines illustrant, non probant. Non enim Concupiscentia in regenitis *substantialiter manet* (inquit Augustinus *V. S.*) *sicut corpus aliquod aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis sicut languor.* Interea duplex hæc similitudo potest spectari, vel quoad concupiscentiæ reatum, vel quoad peccati inhabitantis dominium & regnum. Ille est ita ablatus quoad actualem obnoxietatem condemnationi, ut tamen semper remaneat obligatio ad pœnam in actu primo (Reatus potentialis dici potest) idest meritum intrinsecum pœnæ; Hoc vero ita est sublatum & extinctum, ut tamen sepositâ Gratiâ Dei cohibente & sanctificante, facillimè posset reparari. Quò illud spectat Augustini *lib. 2. de pecc. merit. cap. 26. Illud præcipuè attendere ac meminisse debemus, tantummodo peccatorum omnium pœnam perfectamque remissionem baptismo fieri, hominis vero qualitatem non totam continuò commutari.* Nemo repentè fit sanctissimus.

52. Quare

52. *Quare Deus nobis concupiscentiam relinquit?*

Ut nos in humilitate contineat & nobis olim in cœlo det coronam victoriæ: Nulla autem obtinetur victoria quin pugnetur; nec pugnatur, quin hostes sint. Est vero Concupiscentia ille hostis contra quem continuò pugnare debemus; Morbus est qui nonnisi paulatim sanatur, & ex quo nonnisi in Cœlo perfectè liberamur.

‡ *Ut nos in*] Hæc ostendunt nec Concupiscentiam potuisse convenire homini integro, ut volunt Jesuitæ assertores puræ naturæ ex Pelagio, & eam quæ in regenitis remanet esse adhuc peccatum, contra quam statuunt Patres Tridentini, quandoquidem coerceri, impugnari & vinci debeat per Gratiam. Etenim ut nihil hostile & impugnandum potuit inesse homini integro, ita quicquid tale est in regenitis, vitiosum & peccaminosum censeri debet.

53. *Quinam sunt effectus Concupiscentiæ?*

Sunt omnes motus inordinati quibus ferimur ad amorem & fruitionem Creaturarum.

‡ *Sunt omnes*] Suprà enim monuimus Concupiscentiæ nomen hoc loco ad rei venereæ appetitum non debere restringi.

Et fruitionem] Uti enim licet illis, frui non licet. *Nam frui est amore alicui rei inhærere propter seipsam; Uti autem, quod in usum venerit, ad id quod amas obtinendum referre*, Augustino finitore *lib. 1. de doct. Christ. cap. 4.* Ideo Jansenius *lib. 2. de statu nat. lap. cap. 16.* id suscipit probandum, quod *Creatura rationalis nullâ re creatâ frui potest, secundum doctrinam Catholicam.* Huc disertè facit locus Pauli 1 Cor: x, 31. *Sive manducatis sive bibitis; sive quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.*

54. *Sunt ne illi peccata?*

Peccata non sunt nisi illis consenserimus, & cùm resistimus, sunt occasiones meriti.

‡ *Peccata non sunt*] Hîc iterum Vir Doctus, voluit cum melioribus sapiendo loqui tamen cum vulgo. Nolit sibi tam turpiter con-

tradicere, ut pertendendo Concupiscentiam habitualem esse peccatum morte æternâ dignum, neget tamen absolutè esse peccata illius actus & motus; aut sibi imaginetur mali corui malum ovum non esse: Etiam Paulus regenitus illos Concupiscentiæ motus ceu malos & peccaminosos in se ipso detestabatur Rom: VII, 14. 15. 16. & seq.: Imò in Iansenitarum Schola Concupiscentiæ *motus etiam indeliberati sunt peccata*, ut fusè probat ipse Jansenius *de statu puræ nat. lib. 2. cap. 14. & seq.* Aliàs enim ni mali essent, illis non resistendum, sed consentiendum foret. Huc facit illud Augustini *lib. 4. in Iul. cap. 8. Cur resistitur* Concupiscentiæ, *nisi ne impleat desideria mala: Quo modo igitur bona est?* nec non & illud *de nupt. & conc. lib. 1. cap. 27. Agit aliquid concupiscentia carnis & quando non exhibetur ei vel cordis assensus ubi regnet, vel membra velut arma quibus impleatur quod jubet; agit autem quid, nisi ipsa desideria mala & turpia? Non enim si bona & licita essent, eis obedire prohiberet Apostolus, dicens Non regnet peccatum in mortali vestro corpore ad obediendum desiderijs ejus.* Igitur Authori nostro peccata esse negantur hi motus cùm illis resistitur; Primò quia quamdiu illis resistitur, ac isti Babelis parvuli eliduntur ad Petram, tamdiu Concupiscentia abortit, nec potest peccatum consensu pleno vel etiam externo opere consummatum parere Jac: I, 14. 15. Quò facit istud Augustini in *Psal. 136. Qui sunt parvuli Babyloniæ? nascentes malæ cupiditates: &c.* Igitur *ne cupiditas nequam primæ consuetudinis robur accipiat, cum parvula est, elide illam: Sed times ne elisa non moriatur, ad Petram elide: Petra autem erat Christus.* Non sunt igitur ergo hi motus peccata, supple comsummata & opere completa; quo sensu peccatum, ut partus, à concupiscentia illud concipiente distinguit Jacobus. Secundò, quia hi motus in regenitis qui illis resistunt per Dei gratiam Authori nostro non sunt peccata, quomodo ipsa Concupiscentia in regenitis peccatum non est; non quod non sit ἀνομία, sed quod non imputetur illis in peccatum, quippe quæ reatu transierit, etsi maneat actu.

Sunt occasiones] Nomen *Meriti* catechresticè hîc usurpari, sensu frequentissimo apud Veteres, pro bono opere, ut etiam aliquoties in sequentibus *Erot. 62. & 63.* res ipsa loquitur. Etenim agnoscunt isti Eruditissimi Viri, quod ubi plus est gratiæ ibi minus sit meriti: Verba ipsius Jansenij *de Grat. primi hom. cap. 16.* haud pigebit annotare; ex quibus

ex quibus constabit omnia *merita* propriè dicta & *de condigno*, quæ Jesuitæ tantopere urgent, in Schola Jansenitarum, sive potius Gratiæ, planè evanescere: Is ergo sic loquitur; *Quo meritum majorem includit & supponit gratiam ejus, à quo merces ejus expectanda est, tanto minus rigorosa justitia meritum est*; (idest tanto minus habet condignitatis) *& è contrario quo aliquid magis gratis datur, eo mercedis ratio minus est rigorosa*; (ut vel hinc ineptiant Pontificij qui merita operum constabilituri mercedem gratuitam nobis promissam solent urgere.) *Merces enim id propriè est quod operi sive merito ex justitia debitum est; juxta illud Apostoli, Si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia. Hoc est, si aliquid gratis alicui datur, jam non datur ex operibus sive meritis, quia meritum repugnat quodammodo* (hæc restrictio addita est propter metum non Judæorum sed Pharisæorum Meritoriorum in Papatu) *gratiæ; Unde & alibi idem Apostolus, Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: quasi diceret, Qui opus aliquod ex se facit non donatum sibi per gratiam alterius, illi merces datur non ut gratuita, sed tanquam debita, quia merces est id quod debetur; unde ut tale sub illa consideratione repugnat gratia.* Itaque cùm omnia nostra bona opera omnes resistentiæ nostræ carni & peccato, in solidum, juxta fortes hos Gratiæ defensores, Gratię Dei in nobis agenti debeantur, eo ipso nihil *meriti* propriè dicti & de condigno habent, nihil mercedis debitæ consequuntur. Porrò motus Concupiscentiæ non ideo desinunt esse peccaminosi & vitiosi quòd nobis cedunt in materiam vel occasionem *meriti*, idest boni alicujus operis & Deo grati; cùm potiùs eo ipso hostis sit malus, quòd ei resistere & eum vincere bonum sit & laudabile.

55. *Licet-ne ullam Creaturam propter seipsam amare?*

Non: Hoc enim esset ponere Creaturam in locum Creatoris, eam faciendo finem nostrum ultimum & beatitudinem nostram; quod soli Deo convenit.

56. *Quomodo ergo licet amare Creaturam?*

Propter Deum, illam ad Deum referendo, nec illâ utendo nisi ex necessitate, aut animo satisfaciendi officiis Charitatis; Cor

suum

ſuum illi non adſtringendo; nec pro illa habendo amorem fixum, ſed qui ab illa ad Deum tranſeat.

‡ *Hoc enim eſſet*] Fuſè oſtendit Jánſenius *lib. 2. de ſtatu nat. lapſæ* paſſim, ſed maximè *cap.19. & 20.* tùm *à priori* tùm *à poſteriori* quod *illicitus ſit amor cujusvis Creaturæ propter ipſam*, quo pleniùs oſtendat omnes concupiſcentiæ motus quibus ad Creaturas revocamur & voluptatem ex illarum fruitione quærimus, eſſe peccaminoſos & vitioſos. Ita autem volunt Eruditi Viri oſtendere contra Jeſuitas, & Concupiſcentiæ locum non potuiſſe dari in ſtatu naturæ integræ, & ita remotos eſſe vel perfectiſſimos in via hujus vitæ à perfectione & impeccantia Pelagiana, adeoque ab ea operum juſtitia quâ niti poſſint coram Deo, ut non ſolum *propter incertitudinem propriæ juſtitiæ*, ut videtur concedere Bellarminus *lib. 5. de Iuſtif. cap. 7.* ſed etiam propter certitudinem propriæ injuſtitiæ, cujus omnes qui ſe ad hanc officij normam exegerint ſibi probè erunt conſcij, *tutiſſimum ſit fiduciam totam in Dei miſericordia & benignitate*, omneq; meritum in Chriſti merito & ſatisfactione, *reponere.*

Propter Deum] Verè enim & benè dictum ab Auguſtino, *lib. 14. de Civit. Dei, cap. 28. Secernunt civitates duas amores duo; Terrenam ſcilicet, amor ſui uſque ad contemptum Dei; cœleſtem vero amor Dei, uſque ad contemptum ſui.* Vide annotata *ad Erot. 53.*

57. *Quæ-nam ſunt pœnæ Concupiſcentiæ?*

Ignorantia, error, difficultas agendi, & tandem mors.

‡ *Ignorantia*] Hæc tria priora, habent rationem pœnæ reſpectu Dei, hominibus peccato mancipatis, juſto ſuo judicio denegantis lumen fidei, & vires gratiæ ad benè operandum: Et ita ſunt à peccato & Concupiſcentia meritoriè; Sed quatenus ab eadem ſunt emanativè, & quaſi illius vel partes vel neceſſaria adjuncta, & reſpectu hominum ipſorum quorum ſunt, habent rationem vitij & culpæ. Vide Eph: IV, 17.18 19. Ignorantia hic intelligitur etiam ſimplicis negationis, ſed in rebus ſcitu neceſſarijs, & quas neſcire nemo debet: Error ſignificat ignorantiam pravę diſpoſitionis; Difficultas agendi, ſupple benè, abſolutam notat impotentiam, ut impotentia opponitur

opponitur potentiæ privativè, non vero positivè, prout sonat potentiam diminutam. Est impotentia benè agendi, qualis est videndi non in myope aut lippo, sed in cœco. Ideo suo loco visum Gratiam Christi esse necessariam homini non solùm, quod volebat Pelagius, ad faciliùs, sed omninò & simpliciter ad ea agenda quæ bona sunt: Huc facit passim Scriptura Jer: XIII, 23. Matth: VII, 18. Joh: XV, 5. Rom: VIII, 7. 1. Cor: II, 14. 2. Cor: III, 5.

Et tandem mors] Est igitur concupiscentia peccatum mortale, contra quam disputat Bellarminus *lib. 1. de amiss. gr. & statu pec. cap. 9.* adeoque omnis distinctio peccati venialis & mortalis ex natura rei, quæ tantoperè obtinet in Papatu, ideo venit rejicienda, quod mors sit stipendium peccati, eo ipso quod peccatum est Rom: VI, 23.

58. *Num ignorantia ejus quod sciri nequivit excusat nos à peccato?*

Distinguendum est: Ignorantia facti particularis, nec non juris alicujus ab hominibus sanciti, nos excusat à peccato: Exempli gratiâ is qui non jejunat, cum nequivit scire indictum esse jejunium, non peccat. Sed ignorantia juris Divini & omnium quæ nobis imponit ordo naturæ, ut agnoscendi & colendi unum solum Deum, ac neminem lædendi, nos non excusat à peccato. Sic Ethnici minus illuminati, non desinunt esse rei ob Deum non cognitum & adorata idola, etsi eum nosse non potuissent: nam talis ignorantia est semper pœna præcedentis peccati.

† *Ignorantia facti*] Hæc excusat nisi supina nimis, vel quod pejus est affectata fuerit, aut agens ex ignorantia dederit operam rei illicitæ. Ita non potest excusari ab adulterio, quæ alium admiserit quam virum suum, hoc prætextu quod nesciverit virum suum non esse, ubi causæ ullæ suberant dubitandi, aut suspicandi contrarium. Ita non potest excusari à parricidio, ut fallò pertendit Bresserus Jesuita, cum suis gregalibus quos fusè citat *lib. 5 de Consc. cap. 12.* qui alium hominem occidere volens, proprium suum patrem, etsi eum nesciverit

esse, occiderit. Ita nullo modo excusatur, ut idem Bresserus *ibid.* vellet, ab adoratione teterrima diaboli, casu quo appareret formâ crucifixi, quia in adoratione crucifixi dat operam rei illicitæ & se exponit illi Satanæ illusioni per quam crucifixi formam mentitus honores Divinos consequitur; prout nec ab Idololatria excusatur qui adorat hostiam in manu Sacrificuli putans esse Christum; quod prçter ignorantiam juris, sit quoque ignorantia facti nimis supina & crassa, eo quod ne levissimâ quidem præsumptione quis sanæ mentis queat suspicari vel crustum esse Christum, vel Deum esse id quod manducatur.

Nec non juris] Juris positivi ignorantia tum demum excusat à toto, si ad illius cognitionem nullo modo tenebaris, ac omninò invincibilis illa fuerit; Aliàs enim etiam in foro externo, illud obtinet quod legitur *in Sexto de Reg. juris, Ignorantia facti excusat, non juris.*

Sed ignorantia] Idem fusè docet Jansenius *lib. 2. de statu nat. lapsæ, cap. 2. & seqq.* Quod opponitur doctrinæ Jesuitarum ex Pelagio haustæ, quâ statuunt, ut ipsis objicitur à Sorbonistis *in Theol Morali Iesuit. cap. 1. §. 3.* non posse lethale peccatum esse ullam actionem nisi ab eo fiat qui viderit, noverit, penetraverit quicquid ei boni vel mali inest; eo quod ante talem perquisitionem & reflexionem super [illegible] boni vel mali rei agendæ, actio illius voluntaria non sit; unde sequeretur nunquam ex ignorantia peccari posse.

Vt agnoscendi & colendi] Non excusantur igitur ab Idololatria Pontificij, qui tam graviter & multipliciter impingunt in illud Juris naturalis axioma, Neminem præter summum & verum Deum, coli & adorari debere: Et quis scit num fortè Vir Doctus hoc exemplum expressè proposuerit in Catechismo Gratiæ, quo ejusdem Gratiæ lumine, homines suæ communionis indirectè tam gravis criminis admoneret, etsi ex ignorantia juris non tantum nesciant se errare, sed insuper existiment in Creaturarum multiplici cultu religioso ipsius Numinis sanctissimam θρησκείαν sitam esse; ut olim evenit Gentilibus Rom: 1, 21. 22. 23.

Etsi eum nosse] Nota est distinctio in ignorantiam vincibilem & invincibilem: Illam demum Jesuitæ agnoscunt culpabilem, hanc vero inculpabilem statuunt; unde in infidelibus, in hæreticis, imò, uti loquuntur, *in fidelibus* multis pertendunt dari ignorantiam invincibilem

nec

nec culpabilem mysteriorum fidei, quod videre est apud Martinum Bresserum, *lib. 5. de Consc. cap. 9. & 10.* Eam vero ignorantiam invincibilem faciunt inculpabilem, quia, ut Bresserus loquitur *cap. 9. Culpabilis verè non potest esse ignorantia, vel quidvis aliud, quod sub ratione culpæ cognitum itaque voluntarium non fuit:* Quo axiomate continetur purus putus Pelagianismus, cùm solemne Pelagianorum dogma fuerit, *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato*, ut constat ex Augustino *de gestis Pelagij cap. 18.* quod Pelagianos nonnisi de ignorantia invincibili intellexisse fusè probat Jansenius *lib. 2. de statu nat. lapsæ cap. 2.* qui hoc sibi sumit probandum, *Ignorantia etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est invincibilis, non caret peccato; ut dogma fidei ab antiquis traditum.* Unde colligit voluntarium & liberum non ita esse de essentia peccati, quin etiam peccatum possit omninò necessarium statui, licet id in gratiam Pelagiano-Jesuitarum duo Pontifices Romani condemnarint; & *cap. 4.* ad axioma Augustini quod retulimus suprà *in Scholijs Erot. 50.* respondet per distinctionem Augustino familiarem, inter peccatum quod *tantummodo peccatum est*, quale fuit peccatum primi hominis, & illud quod *sic peccatum est ut etiam sit pœna peccati*; adeoque illud ex libertate quidem absoluta commissum fuisse, hoc vero ex multiplici necessitate, concupiscentiæ, ignorantiæ &c. perpetrari.

Nam talis ignorantia] Juris Divini ignorantia invincibilis, semper est culpabilis, tum *antecedenter*, quia est pœna præcedentis culpæ, tum *consequenter*, quia plures ex illa & graviores culpæ deinde oriuntur: unde licet comparativè excuset à tanto Act: 111, 17. 1. Tim: 1, 13. absolutè tamen non excusat à toto. Sæpè etiam culpabilis est *formaliter*, ut cum ignorantur ea quæ sunt juris naturalis, cujus cognitionem expressam, ut pote nobis in prima creatione inditam, Deus exigit meritò, & pro gravi habet peccato si defuerit. Talis fuit ignorantia Ethnicorum; Licet enim non potuerint ob innatam corruptionem assurgere ad salutarem Dei cognitionem, & τὸ γνωςὸν Dei ipsis manifestatum tam *subjectivè*, per κοινὰς ἐννοίας in eorum mentibus residuas, quam *objectivè*, per creaturas eorum contemplationi expositas, quarum nulla est quæ Creatorem non loquatur, suffecerit quidem ad eorum inexcusabilitatem, non potuerit verò sufficere ad illorum salutem, quæ sine Christi cognitione & fide obtineri

nunquam poteſt Act: IV, 12. Attamen hæc illorum ignorantia quæ notatur Act: XVII, 30. Eph: IV, 18. fuit in ſe & formaliter culpabilis, quamvis ipſis invincibilis, quia ad eam expugnandam omninò tenebantur: Ita illorum quibus externè ſaltem annunciatur Chriſtus, internè vero Gratia indebita credendi non confertur (& quanto magis illorum quos Deus occulto ſuo judicio ſcotomate illo percutit cujus ſit mentio Eſa: VI, 9. 10. 2. Theſſ: II, 11. 12.) incredulitas eſt invincibilis, ſed nihilominus *formaliter* etiam culpabilis, quia Deo ipſis revelanti Chriſtum & præcipienti ut reſipiſcerent & in eum crederent, & credere & obedire tenebantur: Hîc enim juxta ſimile debitoris qui decoxit ſuo vitio, commodiſſimè allatum ab Erudito Catechiſta *Erot. 9.* non attenditur quid poſſint homines, ſed quid debeant, eo quod illa eorum impotentia ſit malum morale, in quo ſibi complacent & quod ſuo jumento ſibi adduxerunt Ioh: IX, 41. At ignorantia Jeſu Chriſti & ipſius Redemptionis, in ijs quibus Euangelium non fuerit annunciatum, eſt quidem invincibilis Rom: X, 14. 15. & nihilominus culpabilis tam antecedenter quam conſequenter; attamen *formaliter* culpabilis non eſt; cùm in rebus fidei quæ ex ſupernaturali revelatione pendent, nemo plus credere teneatur quam ipſi revelatum Dei verbo fuerit. Hinc talium incredulitas merè negativa nonniſi deficienter ſe habet ad eorum condemnationem, quia ſi adfuiſſet fides ſervati fuiſſent, ut dicebat Maria Chriſto Ioh: XI, 32. *Domine ſi fuiſſes hîc non fuiſſet mortuus frater meus*: Sed aliorum incredulitas, ceu privativa & importans carentiam fidei debitæ ineſſe, quia illis fuerit annunciatum Euangelium, ipſis cedit meritoriè & efficienter in æternæ damnationis cauſam, quò facit regula Pauli Rom: II, 12. Porrò dum Eruditus Catechiſtes ſtatuit Gentiles *non potuiſſe* Deum cognoſcere ad ſalutem, eo ipſo rejicit axioma Jeſuiticum de Gratiâ ſufficienti ſemper præſenti omnibus adultis, etiam maximis peccatoribus, excœcatis & induratis, nec non amentibus & infantibus omnibus in utero, quam ore impudenti & pluſquam Pelagiano defenſam & aſſertam à Tirino, juxta placitum ſuorum, *Facienti quod in ſe eſt non denegatur ulterior Gratia*, refutatam dedi adverſus ipſum *Cont. XIV, n. 11. 12. & 13.* Hinc Janſenius contra Jeſuitas *lib. 3. de Gratia Chriſti ſalu. cap. 1.* oſtendit *nullum dari* auxilium ſufficiens *poſt lapſum quin ſimul efficax ſit*; & *cap. 10.* probat excœcatos & obduratos *carere gratiâ ſufficienti quâ videant*

deant & moveantur ad bonum; & *cap. 11. infideles* carere *gratiâ sufficienti ad salutem tam proximâ quam remotâ & omnibus principiis ejus*; & *cap. 12.* gratiam sufficientem *infidelium à Semipelagianis* excogitatam esse; ne Iesuitarum Patriarchas extra Hæreticorum colluviem quærere debeamus.

59. *Si homo non peccasset, non-ne mortuus fuisset?*

Non: Mors enim nonnisi per peccatum ingressa est mundum: Et cùm mors supplicium sit, ei adjudicare innocentem justitia Divina non posset. Nequit anima à corpore per mortem separari, quin prius separata sit à Deo per peccatum.

60. *Quid ergo futurum fuisset de homine?*

Providentia Divina prospexerat illi de quodam fructu vitæ qui eum à morte præservasset, & post annos complures fœlicis vitæ non exutus fuisset suo corpore, sed immortalitate indutus.

‡ *Non: Mors enim*] Hinc liquet quàm præposterè Iesuitæ, ad quos accedunt hodierni Sociniani, negant primi hominis immortalitatem *naturalem* fuisse, ut disputat Bellarminus *de grat. pr. hom. cap. 9.* asserunt mortem *à natura* esse ut à causa per se, ut idem Bellarminus *ibid. cap. 6.* imò eousque procedunt impudentiæ ut per suum Garassum, *in summa Theol. lib. 3.* eum tandem fuisse *moriturum* ore rotundo affirment, securi ejus quod docet passim Scriptura stipendium peccati mortem esse, & Anathematis quod in Pelagianos strinxit Concilium Milevitanum *can. 1. Quicunque dixerit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret sive non peccaret moreretur in corpore, non peccati merito, sed necessitate naturæ, Anathema sit.* Sanè *constat inter Christianos veraciter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ quâ nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati. Quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini in quo tunc omnes eramus, Terra es & in terram ibis*, inquit Augustinus *lib. 13. de Civit. Dei cap. 3.* Et quamvis *prima* illa *immortalitas* Adami fuerit *posse non mori*, adeoque *novissima* beatorum *multò major* sit futura, nempe *non posse mori*, ut docet idem Augustinus *lib. 22. de Civit. Dei, cap. ult. & de corrept.*

& grat. cap 12. ſaltem illa immortalitas tam naturalis erat primo homini quàm à natura erat immunis à peccato; ut nonniſi animo velificandi Ieſuitarum Pelagianiſmo Pius v. & Gregorius XIII. hanc propoſitionem inter cæteras damnaverint, *Immortalitas primi hominis non erat Gratiæ beneficium, ſed naturalis ejus conditio*; etſi de ea propoſitione per illos damnata glorietur Becanus *tract. 5. p. 1. Theol. Sch. cap. 4. q. 1.* Hinc etiam liquet mortem omnem pœnam eſſe peccati, vel imputati ut in Chriſto, vel proprij ut in nobis: Licet enim mors non ſit amplius pijs pœna perſonalis, aut vindicativa, ſed tranſitus ad vitam meliorem, ipſis tamen adhuc eſt pœna tùm naturalis, cui tota natura obſtricta fuit ex peccato, tum ipſis medicinalis, per quam peccatum inhabitans tollatur & necetur: Sed & hinc patet peccatum aliquod remanere in infantibus recens baptiſatis, contra quam vulgus Pontificiorum docet, eo quod miſerijs vitæ ac doloribus mortis adhuc ſubſunt.

Fructu vitæ] Qui per conſequens, juxta Eruditi Catechiſtæ principia, non debuit arcere mortem, tanquam remedium naturaliter prophylacticon mali aliàs naturaliter eventuri; nam *contra vim mortis non eſt medicamen in hortis*; ſed fuit illi in pignus, Symbolum & Sacramentum fœlicis illius vitæ continuandæ in Paradyſo terreſtri, & abſolutæ Immortalitatis tandem in ipſo cœlo obtinendæ, commutatâ immortalitate viæ, cum immortalitate patriæ, ſi modo in obedientia perſeveraret, nec horſum vel illorſum à Lege ſibi poſita deflecteret; quæ eſt non ſolum noſtrorum communis ſententia, ſed etiam Vatabli & Eugubini inter Pontificios. Et ſanè illa *præſervatio à morte*, quam Vir Doctus vindicat iſti fructui, poteſt intelligi non phyſica & medicinalis, ſed moralis, ſacramentalis & ſignificativa: Quod & elucidandæ doctrinæ Sacramentorum, contra vulgaria Papatus dogmata, poteſt inſervire. Sed hæc aliò ſpectant.

Caput

Caput VII.

DE PRÆDESTINATIONE.

61. Quid est Prædestinatio?

EST præparatio Gratiarum quibus Deus infallibiliter liberat quos vult ex æterna illa perditione cui suberant per lapsum primi hominis, ut eos per infallibilia media deducat ad vitam æternam: Est dispositio in Idea Dei rerum quas facturus est in gratiam suorum Electorum ad eos certò ad gloriam adducendos: Est Dei propositum ab æterno factum quosdam eligendi ad gloriam æternam, illisque dandi media eò perveniendi.

‡ *Est præparatio*] Varias has descriptiones Prædestinationis æternæ sigillatim excutere nihil attinet. Prior ferè concepta est ipsius Augustini verbis, quæ extant *de bono persev. cap. 14.* ubi eam definit *Præscientiam & præparationem beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Bellarminus, qui solus à Iesuitarum suorum turba dissentit *lib. 2. de Gr. & lib. arb. cap. 9.* statuit quod ex doctrina Augustini ita Prædestinatio posset definiri; *Prædestinatio est Providentia Dei quâ certi homines ex massa perditionis misericorditer selecti, per infallibilia media in vitam diriguntur æternam.* Eo quoque redit noster hîc Author, de cujus verbis nihil præterea venit monendum, nisi quod I. Prædestinationis nomen hîc sumit specificè pro Electione, quâ positâ sequitur necessariò Reprobatio, quæ est altera species Prædestinationis, licet non per non omnia univoca; Unde meritò causæ Gotteschalcianæ hodierni vindices duplicem Dei Prædestinationem propugnant, altera ad vitam altera ad mortem, juxta Concilij Valentini *Canonem 3.* cui prætulerunt Augustinus *lib. 15. de C. D. cap. 1.* Prosper *in resp. 14. & 15. ad capitula Gallorum*, Fulgentius *ad Monimum lib. 1. cap. 14.* II. Optimè Prædestinationis objectum assignat homines non in massa Redemptionis per Christum, ut censent nonnulli Semipelagianismi interpolatores; vel in massa aut creationis aut creabilitatis per Deum, ut supra lapsarij volunt, quos haud ita pridem coacti fuimus publicè refutare;

cè refutare; sed in massa lapsus & corruptionis per Adamum, ex qua solum possunt fieri vasa misericordiæ & iræ; quæ sententia est Ecclesiarum Reformatarum, earum Confessionibus expressa, & tam apertè proposita in Canonibus Synodi Dordracenæ, ut nemo id negare audeat qui vim suæ conscientiæ facere noluerit: Ea quoque constans est sententia Augustini passim, prælertim *epist. 157. Meritò videretur injustum quod fiunt vasa iræ ad perditionem, si non esset ipsa universa in Adam massa damnata; Quod ergo fiunt nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pœnam; quod autem fiunt renascendo vasa misericordiæ, pertinet ad indebitam Gratiam.* Item, *Notas etiam fecit divitias suas in vasa misericordiæ; ita enim quid præstetur sibi discit gratis justificatus, dum non suo merito, sed gloriâ largissimæ Dei misericordiæ discernitur à damnatis, cum quo eadem justitiâ fuerat & ipse damnandus. Tam multos autem nasci voluit, quos ad suam Gratiam non pertinere præscivit, ut multitudine incomparabili plures sint illis, quos in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est; ut etiam ipsâ rejectorum multitudine ostenderetur, quam nullius momenti sit apud Deum justum quantalibet numerositas justissimè damnatorum: atque ut hinc etiam intelligant qui ex ipsa damnatione redimuntur hoc fuisse debitum massæ illi universæ, quod tam magnæ ejus parti redditum cernerent.* Plura Antiquitatis testimonia non congeram: Sufficiat quod Iansenius *lib. 9. de Grat. Christi, cap. 8.* ex Prædestinationis Sanctorum definitione Augustiniana, quam suprà retuli, colligat, *Electionem seu Prædestinationem hominum gratuitam, juxta S. Augustini doctrinam, à Deo factam esse post prævisum peccatum, cujus inquinatione damnandi videbantur & à cujus erant damnatione liberandi: Decretum enim liberationis concipi non potest, nisi prævisâ servitute; sicut nec decretum sanandi aliquem nisi prævisâ ægritudine; quas essentialiter liberatio sanatioque supponunt.* III. Prædestinationem facit, certam, infallibilem, peremptoriam, irrevocabilem, adeoque suo sensu absolutam non ex fide vel operibus prævisis, ut Pelagiani, Sociniani, Iesuitæ, & ex utrisque Remonstrantes statuunt, sed ad fidem & opera, adeoque salutem æternam, per illa licet non propter illa obtinendam.

62. *Prædestinavit-ne Deus ante prævisa merita?*

Ita: Quia merita sunt effecta & consequentia Prædestinationis: Cum enim merita sint propriè dona & munera, quæ nobis Deus

Deus largitur, & media quæ offert ad nos ad Gloriam adducendos, de illis medijs non disponit quin prius constituerit de ijs ad finem deducendis quibus illa dat. Non decrevit producere merita in suis Sanctis virtute invincibili Efficacis Gratiæ, & illa merita coronare speciali dono Perseverantiæ finalis, nisi postquam decrevit eos Gloriæ suæ participes efficere.

‡ *Ita: Quia merita*] Quam catachresticè Author noster utatur nomine meritorum, imò quam adversetur doctrina Gratiæ, quam propugnat, operum meritis, antea monui: Merita ergo hoc loco intelligit opera bona, quę vulgò, sed perperam, merita appellantur. Ipse Vega *lib. 8. de Iustif. cap. 8.* agnoscit quandoque *usurpari apud Patres nomen meriti, ubi nulla ratio est meriti neque de congruo neque de condigno.* In hac autem doctrina petit Author jugulum causæ Jesuiticæ de Prædestinatione ex prævisis operibus, quam mordicùs solent omnes Jesuitæ propugnare ex Pelagij placitis quæ & hîc nostris Remonstrantibus propinarunt; videatur Jesuita Becanus vehementer pugnans pro ea sententia quæ hîc damnatur *p. 1. Theol. Sch. cap. 14. q 4.*

Sunt effecta] Idem de fide quoque statuendum, cum charitas ex fide non ficta oriatur 1. Tim: 1, 5. Hæc doctrina quæ Electionem facit merè gratuitam & ex solo Dei beneplacito, hominum miserorum & perditorum in Adamo, non ex prævisis operibus & fide, sed ad fidem & opera multis nititur Scripturæ sacræ testimonijs, Matth: XI, 25. 26. 2. Tim: 1, 9. Rom: VIII, 29. IX, 11. 12. Eph: 1, 4. Act: XIII, 48. 1. Cor: VIII, 25. Nec possunt hîc Jesuitæ non esse αὐτοκατάκριτοι ex quo ipse Bellarminus *lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 10.* probavit *ex divinis literis Prædestinationis nullam esse causam in nobis*; & *cap. 11. & 12.* idem probari docuit tum *ex traditione Ecclesiæ*, tum *rationibus ex Scriptura & traditione depromptis.* Syncretismum reliquorum Jesuitarum cum Pelagij reliquijs *in oppugnanda Electione hominum seu completa Prædestinatione*, graphicè descriptum qui volet videre, adeat Jansenij *Stateram, cap. 1.*

Cum enim merita] Jam autem benè ad hanc rem dixit Augustinus *de grat. & lib. arb. cap. 6. Si Dei dona sunt merita tua bona, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.* Et ele-

ganter Bernardus *de grat. & lib. arb. Quis est qui ignorat Dei justitiam? Qui seipsum justificat; qui merita aliunde quam à gratia præsumit. Merita donat qui fecit quibus donaret. Et quæ dicimus nostra merita, spei sunt seminaria, charitatis incentiva, occultæ Prædestinationis indicia, futuræ fœlicitatis præsagia; via Regni, non causa regnandi.*

Quin prius] Non utique ordine temporis; nam uno eodemque decreto immutabili Deus & finem & media ad illum suis Electis decrevit; nec malè pertendit Jansenius *lib. 9. de Grat. Christi salvat. cap. 2. quod Prædestinatio non magis ex ratione sua respiciat & includat medium quam finem, nec magis finem quam medium*; sed duntaxat pro nostro concipiendi modo & in signo rationis. Saltem hæc duo Axiomata sunt hîc æternæ veritatis; I. Destinans Deus ad finem, destinat ad media. II. Deus nemini destinat media, nisi ei quem ad finem destinavit.

Virtute invincibili] Ut vero benè hinc sequitur illam virtutis invincibilis Gratiam efficacem solis demum Electis destinari, ita hinc quoque collige justitiam & sanctificationem veram, quæ ex illa demum manat, in reprobos cadere non posse: de quo antea monui *ad Erot. 40. & 41.*

Speciali dono] Perseverantiam esse donum merè gratuitum quod sub meritum non cadit, vel ipse Becanus Jesuita agnoscit *tom. 1. p. 2. Theol. scb. tract. 4. cap. 5. q. 7.* Quod si Perseverantia quâ Deus coronat merita nostra sub meritum tamen non cadit, utique nec sub meritum cadet ipsa vita æterna, ut vulgò creditur, quâ nempe Deus & Obedientiam & Perseverantiam suorum certissimè coronat. Valeat ergo hîc nostri Catechistæ Doctissimi ex Augustino *cap. 17. de bono persev.* conclusio; *Ista sua dona quibuscunque Deus donat, proculdubio donaturum se esse præscivit, & in sua præscientia præparavit.*

63. *Non-ne pervenitur ad gloriam per merita?*

Ita: Nam Prædestinatio quæ præcedit merita, nonnisi tamen per merita executioni demandatur.

64. *Num ergo Prædestinatio desinit esse merè gratuita, eo quod nonnisi per merita adimpletur?*

Est merè gratuita; quandoquidem hæc merita per quæ adimpletur

impletur sunt dona meræ Misericordiæ Dei qui ea producit in nobis virtute suæ Gratiæ quæ efficit ut illa mereamur.

‡ *Ita:*] Sunt enim bona opera quæ abusivè hîc *merita* dicuntur, via ad regnum licet non causa regnandi, ut ante ex Bernardo probatum: Aliàs quoad merita propriè dicta, manet in Schola Gratiæ verissimum quod idem dicit *serm. 61. in Cant. Meritum meum miseratio Domini*; & *serm. 68. Sufficit ad meritum scire quod non sufficiant merita.* Unde ipse Bernardus in extremis constitutus, sic loquebatur *lib. 1. vitæ suæ cap. 13. Fateor non sum dignus ego, nec proprijs meritis possum regnum obtinere cœlorum: Caterùm Dominus meus duplici jure illud possidet, hæreditate Patris & merito Passionis; altero ipse contentus alterum mihi donat.*

Est merè gratuita] Unde & Electio Gratiæ dicitur Rom: xi, 5. & in merum Dei beneplacitum refunditur Luc: xii, 32. Nec solum gratuita est quoad sui executionem, quia per media merè gratuita & nobis indebita adimpletur, quod notat Vir Eruditus, sed etiam quoad ipsammet destinationem, quam non præcedunt fides & opera, sed ceu illius fructus & effectus consequuntur.

Vt illa mereamur] Hîc sanè *mereri*, nihil aliud potest esse quam *operari*, etsi catachresticè: Nemo enim sanus dixerit Gratiam efficere ut mereamur ipsa merita; cùm duntaxat efficiat ut opera illa proferamus, quæ meritorum nomine apud vulgus veniunt. Adde quod ante monui & non solum ex Scripturis sed ex ipso Jansenio probavi, eam esse meritorum, sic formaliter dictorum, & Gratiæ ἐναντίωσιν, ut hujus positio sit illorum negatio, quemadmodum, *Non benè conveniunt nec in una sede morantur, Majestas & amor*, & unius poli elevatio alterius est depressio.

65. *An tantùm pro Prædestinatis Jesus Christus mortuus est?*

Mortuus est pro omnibus hominibus: ut daret gloriam Electis & Gratias transitorias quibusdam è reprobis. Mortuus est pro natura omnibus communi; pro peccato quod est commune omnibus; pro hominibus quarumvis nationum, dignitatum,

ſexuum, ætatum & conditionum: non tamen eo fine ut ſinguli homines, nemine excepto, mortis ſuæ fructum conſequerentur, (quod manifeſtè cognoſcitur exemplo tot infantium qui nequeunt ad Gratiam Baptiſmi pervenire) ſed eo demum fine ut offerret pretium ſanguinis ſui ad ſervandos ſuos Electos diffuſos per omnes locos, conditiones & nationes.

‡ *Mortuus eſt pro*] Cùm ſequenti Erotemate dicturus ſit Vir Doctus nolle Deum alios ſervare quam ſuos Electos, non erat cur ita ambiguè loqueretur, ut etiam quodam ſenſu Chriſtum pro quibuſdam non electis mortuum confiteri videretur. Abſit enim ut ſtatuatur Chriſtus, qui animam ſuam poſuit pro *ſuis ovibus* Joh: x, 11. pro *ſuo populo* Matth: 1, 21. pro *Dei filijs* Ioh: xi, 13. pro *ſua Eccleſia* Act: xx, 28. pro *ſuo corpore* Eph: v, 23. pro *ſuis amicis* Ioh: xv, 13. mortem oppetijſſe pro ullo eorum quos Deus ſervare nolit, & pro quibus ipſe ſe nolle precari diſertè teſtatur Ioh: xvii, 9. Quàm cordatè tuiti ſint olim Catholici Gotteſchalcum monachum, ac inter eos Prudentius Tricaſſinus, Remigius Lugdunenſis, Ratramnus ſive Bertramus Monachus Corbejenſis, liquet ex eorum monumentis quæ nuper emiſit Ampliſſ. & Doctiſſ. Mauguin, cujus jam ſæpiùs & in Præfatione memini: Iam autem ex quatuor capitulis in Gotteſchalco damnatis ab Hincmaro & qui cum ipſo conſpirabant, hoc quartum fuit, ut patet *ex Epiſtola Eccl. Lugdunenſis, in libro de tribus Epiſt. cap. 14.* quod *Chriſtus non venit ut omnes ſalvaret nec paſſus eſt pro omnibus, niſi ſolummodo pro his qui paſſionis ejus ſalvantur myſterio.* Quin inter Gotteſchalci hyperaſpiſtas Lupus Servatus Presbyter (ſive is Gallus fuerit ut placuit quibuſdam, ac nominatim Andreæ Riveto, qui ſub Renati Deviræi nomine, illius opuſculum, primùm Duaci editum, in Belgio fœderato recudendum curavit ſub exitum anni 1649. ſive Moguntinus, ut eum pertendit Ampliſſ. Mauguin) in opuſculo *de tribus quæſtionibus* ad Karolum Regem, circa tertiam earum quæ inſcribitur *de ſuperflua taxatione ſang. Chriſti*, ſtatuit eodem ſenſu, *pro omnibus Dei Filium guſtaſſe mortem*, quo dicitur *Deum velle omnes fieri ſalvos*: *Vt enim* (inquit) *ſalvos vult fieri omnes quicunque ſalvantur, ita redimit omnes quicunque redimuntur; Non autem ſalvantur omnes, nec vero redimuntur; non itaque vult ſalvari aut redimi a-*

lios.

lios omnes, nisi qui redimuntur atque salvantur. Alter quoque Lupus, Ferrariensis Abbas, illi coætaneus, laudato testimonio Augustini *ex cap. 61. Enchir.* subjicit *ad 3. quæst.* hæc verba; *In Ecclesia quæ sanguine Mediatoris nullum habentis peccatum ab omni redempta est peccato, intelligit esse omnes qui Apostolico testimonio comprehenduntur, quod est, Pro nobis omnibus tradidit.* Laudat idem dictum Augustini *tract. 48. in Ioh. Quomodo istis dixit non estis ex ovibus meis? quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos*; necnon & istud ex *lib. 1. de adult. conj. cap. 15. Omnis qui Christi sanguine redemptus est homo est, non tamen omnis qui homo est etiam sanguine Christi redemptus est*: Et allato testimonio Chrysostomi dicentis *hom. 4. in ep. Heb. Non pro fidelibus tantum sed pro mundo universo* Christum esse mortuum, his additis verbis, *Quid autem si omnes non credunt? ille quod suum erat implevit*, monet Chrysostomum *hanc intelligentiam divinis non roborasse eloquijs.* Sed privatos ut mittam, ipsum Concilium Valentinum III. celebratum anno 855. & postea confirmatum tam in Synodo Lingonensi quam Tullensi apud Saponarias, imò consequenter ab ipso Nicolao P. R. rejecto nimio *errore* eorum qui statuebant sanguinem Christi etiam *effusum* fuisse *pro illis impijs qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui æternâ damnatione puniti sunt, contra illud Propheticū, Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne,* definit conceptis verbis, *Id simpliciter & fideliter tenendum ac docendum, juxta Euangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium* fuerit *de quibus ipse Dominus noster dicit, Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipso non pereat sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam: Et Apostolus, Christus (inquit) semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*; Tum postea se explodere & rejicere profitetur *Capitula quatuor quæ à Concilio Fratrum nostrorum* (inquit) *minùs prospectè suscepta sunt*, idque propter *inutilitatem vel etiam noxietatem & errorem contrarium veritati.* Sunt autem hæc Capitula quatuor quę Hincmarus in suo Carisiacensi conventu contra Gottelschalcum stabiliverat, quorum quartum ita fuerat expressum, *Christus Iesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in eo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur.*

Quibusdam è reprobis] Neque in rei veritate, neque ex Viri Docti principijs, potest statui Christus mortuus pro ullis reprobis; cùm certum sit neminem ex illis servatum velle Dominum: & Christus pro illis demum mortuus sit quorum vices sustinuit in cruce & exhausit omnia peccata ne illis imputarentur ad condemnationem, quod nulli convenit reproborum: Imò nullos eorum donari fide vivâ & salvificâ, cum sit Electorum specialis Tit:1,1. Act:XIII,48. suo loco antea ostendimus; In nostra quoque nupera Disputatione *de Scopulis in quos incidunt Gratiæ Univers. Defensores, th. 23. & 24.* docuimus ineptè statui à nonullis Christum mortuum esse *bono* quorundam, licet non *loco* eorum; & illis mortem ejus in *impendium* quidem cessisse, non vero ut his in *victimam*; adeoque illarum distinctiuncularum absurditate ostensâ demonstravimus Christum revera nihil meritum esse personis reproborum, pro quibus non stabat in sua morte coram Deo. Gratias gratis datas, quas interdum obtinent reprobi, Christus meritus est non eorum personis, quæ inde non meliores vel sanctiores, sed duntaxat inexcusabiliores fiunt, verum soli suæ Ecclesiæ ad cujus ædificationem ordinantur. Fides historica & temporaria quæ cadit in reprobos, non debet annumerari effectis salutaris Dei Gratiæ quæ est in Christo Tit: II, II. sed duntaxat communioris Providentiæ, quâ Deus suum consilium miris modis exsequitur. Quod si objicias tamen Concilium Valentinum videri *can.5.* statuere nihilominus redemptionem universalem, saltem omnium fidelium, quorum alij perseverant alij non, respondebo eos è reprobis qui ad tempus fidem simulant ac mentiuntur, hactenus *probabiliter*, ut Lupus Servatus tum temporis loquebatur, redemptis à Christo annumerari, quia *probabiliter* multitudini fidelium accensentur, licet *reverâ* ad ipsam non pertineant, ut docet evidenter Johannes I. II, 19. Et sanè eo quod Concilium statuit pro nemine eorum Christum fuisse mortuum qui ab exordio mundi usque ad Passionem Domini in impietate obierunt & pœnas cum moreretur perferebant suorum scelerum, etiam eodem argumento debet statuisse, pro nemine eorum esse Christum mortuum qui à tempore suæ Passionis ex irrevocabili Dei decreto ob sua peccata erant damnandi in æternum. Cur enim potius censeretur mortuus pro ullo damnando post suam Passionem, quam pro ullo ante eam damnato? Et cum etiam inter

illos

illos damnatos ante Domini Passionem fuerint quoque πρόσκαιροι qui & circumcisi & pro tempore, saltem ut videbatur, justi fuerant, quamvis in illa via justitię non perrexerint, cur illis similes post Passionem Christi, potius quam ipsos ante illam, morte Christi reverâ redemptos, etsi inter phænomena Ecclesiæ recenseantur, statuemus? Igitur ea est connexio doctrinæ Electionis, Redemptionis & Gratiæ, ut prioris & posterioris universalitate sublatâ, ut fit à Docto Catechista, latiùs utraque patere nequeat illa quæ medium locum tenet; & prout à Synodo Dordracena nostra optimè Redemptio per Christum succenturiatur Electioni gratuitæ, ita illi Theologi meritò censendi sunt totam compagem Orthodoxiæ in his capitibus luxare, qui sub prætextu novæ & accuratioris methodi præponunt Redemptionem Electioni, & hujus agnitâ particularitate illius universalitatem mordicùs tuentur. Ipsi Jansenitæ hoc loco, etsi conentur cum vulgo suo loqui, tamen I. Disertè negant Christum pro omnibus & singulis esse mortuum: II. Illud quod dicitur quandoque Christum pro omnibus mortuum, nonnisi de generibus singulorum accipiunt, non vero de singulis generum. III. Intentionem Christi in morte obeunda ad solorum Electorum salutem restringunt. IV. Non alio fine Gratias quasdam transitorias in quibusdam reprobis arcessunt à Christi morte, quam ne videantur arietare aliud dogma erroneum suæ Communionis de *opere operato* Sacramentorum, quod licet destitutum omni fundamento Scripturarum & sanioris Antiquitatis, nondum ausi sunt palàm rejicere. Ideo Jansenius ipse *lib. 3. de Grat. Salvat. cap. 20.* statuit *Non aliter Augustini judicio Christum se redemptionem pro omnibus dedisse, seu propitiationem esse pro peccatis totius mundi, nisi quia pro peccatis omnium fidelium, ex quibus una Catholica constituitur Ecclesia, redemptio atque propitiatio est*; unde fit, ut, ipso indice, Augustinus *passim omnes loquutiones sacrarum literarum quæ quandam universitatem effectuum passionis, aut mortis, aut redemptionis, aut Divinæ Gratiæ insinuant, ad solos Prædestinatos revocet ac restringat*, eo usque *ut dicat Christum pro cæteris qui non fuerint prædestinati, non esse mortuum, non orasse, non semetipsum dedisse redemptionem*; & multis ex Augustino in eam sententiam citatis testimonijs, quæ ex ipso repeti poterunt, concludit *nullo modo principijs Augustini consentaneum esse, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium*,

morientium, vel pro justorum non perseverantium, æterna salute, mortuum esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse, sentiatur. Video quidem aliud hîc à Iesuitis posse objici fortibus istis Athletis Gratiæ, nempe quod juxta eos Ecclesia verè Catholica ex solis prædestinatis constare debeat, cujus sententiæ negativam vehementer propugnant contra nos & Tirinus *Cont. v, n. 13.* & Bellarminus *lib. 3. de Eccl. cap. 7.* Sed si me audiant etiam palam illi errori Iesuitico nuntium mittent. Cum enim Ecclesia Christi, indice ipso Bellarmino *lib. 3. de Eccl. cap. 1.* ab ea vocatione nomen habeat cujus fit mentio Rom: VIII, 29. & quæ ab Electione Dei speciali fluit, non est cur ad veram Christi Ecclesiam & univocè sic dicta illius membra alios quam Electos & juxta Dei propositum vocatos pertinere, adeoque in alijs quam his Ecclesiæ Christi Sacramenta suam vim salutarem exerere, censeamus: *πρόσκαιροι* autem & hypocritæ qui sunt in Ecclesia ut mali humores aut lumbrici in corpore nostro ad illam non pertinent; & teste Augustino *de corrept. & gr. cap. 9. quia non habuerunt perseverantiam, sicut non verè discipuli Christi ita nec verè Dei filij fuerunt, etiam quando esse videbantur & ita vocabantur.* Nam ut ait *lib. 3. de Doct. Chr. cap. 32. Non revera Domini corpus est quod cum illo non erit in æternum.* Addo his parum interesse ad rei summam, ecquid beneficij temporalis voluerit Christus redire ad quosdam reprobos consequenter ad suam redemptionem & illius promulgationem in mundo, modò pro solis suis Electis mortuus, ut hîc fit à Docto Catechista, statuatur.

Mortuus est pro natura] Hæc omnia eò pertinent ut dicatur Christus mortuus pro quibusvis, non pro singulis; idest pro mundo communiter loquendo, ut genus humanum indefinitè & in communi denotat, (nec enim pro *natura* humana in abstracto mortuus est, sed pro certis & determinatis personis naturam illam communem participantibus) licet non pro mundo universaliter sumpto, ut omnes & singulos complectitur.

Quod manifesto] Quamvis haud gravatè fatear interdum Augustinum æstu disputationis abreptum statuisse reprobis & damnandis annumerandos omnes infantes, etiam fidelium, qui absque Baptismo decedebant, tamen certum est eum non semper in ea sententia fuisse; cui etiam sententię multis se opposuit Bernardus *Epist. 77.* quę est ad Hugonem de

nem de

nem de S.Victore, in qua docet, ex ipso quoq; Augustino, *non qui nequiverit, sed qui contempserit baptizari, fructu privari baptismatis.* Lombardus similiter ex Augustino probavit *lib.4. dist. 4. lit.* D. id quod dicit Apostolus, Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem, *tunc* quoq; *impleri invisibiliter cùm mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Id etiam videtur observasse Eruditus noster Catechistes, qui pro particulari Christi redemptione urget exempla *tot infantium* qui non perveniunt *ad gratiam Baptismi*: Licet enim ad Baptismum actualem non perveniant omnes fidelium infantes præmaturâ morte occupati, jure tamen natalium suorum & quod ex parentibus fœderatis nati sint 1 Cor:VII,14. Act:11,39. perveniunt ad Baptismi gratiam, adeoque illis *invisibilis sanctificatio* adest & prodest *sine visibilibus Sacramentis*, ut loquar cum Augustino *q. 84. in Levit.* & prout docet Lombardus *V. S.* esse *qui suscipiunt rem & non Sacramentum*, cum Gratia Dei non sit alligata Sacramentis: Ideo nostra Synodus Dordracena *cap. 1. Doct. §.17.* meritò definivit, *quandoquidem de Voluntate Dei ex Verbo ipsius nobis est judicandum, quod testatur liberos fidelium esse sanctos, non quidem naturâ sed beneficio fœderis gratuiti, in quo illi cum parentibus comprehenduntur, pios parentes de electione & salute suorum liberorum, quos Deus in infantia ex hac vita evocat, dubitare non debere.* Valet igitur ratiocinatio Docti Catechistę, etiam sepositâ absolutâ Baptismi necessitate quæ urgetur in Papatu; Etenim infidelium & non fœderatorum infantes eo ipso nihil habent juris ad Redemptionem Christi & Gratiam quæ Baptismo obsignatur, quod nihil ipsis juris competat ad ipsum Gratiæ ac Redemptionis signum & Sacramentum. Et quamvis non valeat argumentum à privatione signi in infantibus fidelium ad negationem rei signatæ, cùm signo illo externo excidant tantum de facto non de jure, valet tamen & procedit pro infidelium & non fœderatorum infantibus, ad negandum illis omne jus ad Christi Redemptionem; quibus revera nullum jus competit ad Redemptionis Sacramentum: Etenim jus Baptismi competere Ethnicorum ac infidelium infantibus recens natis, nemo sanus dixerit.

Sed eo demum fine] Ergo pro solis Electis ex Christi intentione fusus est sanguis illius, & per consequens pro illis solis mortuus est; cùm repugnet Christum pro quibusdam esse mortuum, pro quibus

tamen suum sanguinem non fuderit. Et cùm nemo verè justificetur, licet Justificationis Sacramenta extrinsecùs percipiat, nisi respergatur spiritualiter sanguine Christi pro se fuso, quam verum est sanguinem hunc pro solis Electis esse fusum, tam necesse est solos Electos verè justificari, adeoque nonnisi æquivocè, apparenter & specie tenus fideles & justos dici debere eos reprobos qui fidem & justitiam in Ecclesia visibili ad tempus profitentur: Ut enim quod perseverantiæ donum non consequuntur indicium est certissimum illos ex numero Electorum non fuisse; ita idipsum à consequenti probat, eos nec verâ fide, nec verâ justitiâ per Christum Redemptorem, unquam præditos fuisse: Nam si tales fuissent tales quoque permansissent, & sic pervenissent ad salutem.

66. *Num alios quam suos Electos Deus vult servare?*

Non: Solos eos vult servare quos prædestinavit, prædestinavit autem solos suos electos. Si singulos homines vellet servare, cum faciat quicquid vult in cœlo & in terra, de facto omnes eos servaret: Et ideo hæc sententia Apostoli, Deus vult omnes servari, non est intelligenda de singulis hominibus nullo excepto, sed de omnibus Electis & prædestinatis qui sunt ex omni ordine, ætate, sexu, natione & conditione.

† *Non: solos*] Habent hic in quo genuinum frangant Universalistæ omnes, qui in illis phrasibus universale quid sonantibus præsidium quærunt Pelagianismo suo, & hinc aggerem sibi struunt ex quo Gratiam discriminantem quatiant & evertant, quod strenuè similiter egisse suos Patriarchas probatum dedit Jansenius *Stat. suæ, notâ 13. & 14.* Ex eo autem quod solos eos servare velit Deus quos prædestinavit ad gloriam, constat id quod ad præcedens Erotema fuit explicatum, nempe Christum pro solis Electis oppetiisse mortem: cùm pro iis solis mortuus sit Redemptor quos solos ad gloriam per Redemptorem adducere Deus decreverat Heb: 11, 10. Constat item solos Electos nec alios justificari & Gratiâ sanctificante ac invincibili donari; cùm neminem justificet Deus & abluat sanguine Christi & ad se convertat & donet Gratiâ, quem eo ipso nolit servari.

Si singulos] Optimè; nam Deo *volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium*, inquit Augustinus *de corrept. & grat. cap. 14.* Nec unquam credibile erit *aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse, qui sine ullis ambagibus, si in cœlo & in terra (sicut & veritas cantat) omnia quæcunque voluit fecit, profectò facere noluit quodcunque non fecit*, ut idem loquitur *Enchir. cap. 103.*

Et ideo hæc sententia] Extat ea 1 Tim: 1,4. in qua adeo benè illud syncategorema πάντας noster Beza per *Quosvis* reddidit. Variè quidem potest juxta Augustinum hæc sententia Paulina intelligi citra detrimentum Veritatis & Gratiæ discriminantis. Videatur ipse Augustinus *Epist. 107.* & *lib. de corr. & grat. cap. 15.* & illo ipso *cap. 103. Enchir.* cujus ultima verba modò citavi; Hic præsertim duas habet explicationes; quarum prima est paullò coactior, ideo velle Deum omnes homines salvos fieri, *quod nullus homo fiat salvus, nisi quem salvum ipse voluerit; non vero quod nullus sit hominum nisi quem salvum fieri velit, sed quod nullus salvus fiat, nisi quem velit, & ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri si voluerit: De orando quippe Deo agebat Apostolus ut hoc diceret.* Sed illarum posterior ea est quæ hic ab Erudito Viro proponitur & quam Cornelius à Lapide Jesuita *ad illum Pauli locum* ægrè fert *avidè à Beza* arreptam fuisse; ut nempe omnes intelligantur non de singulis generum, sed de generibus singulorum; *Sic dictum est, Qui omnes homines vult salvos fieri non quod*, (inquit Augustinus,) *nullus hominum esset quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos fuisse pœnitentiam si fecisset; sed ut omnes homines omne genus hominum intelligamus, per quascunque differentias distributum; Reges, privatos, nobiles, ignobiles; sublimes, humiles; doctos, indoctos; integri corporis, debiles; ingeniosos, tardicordes, fatuos; divites, pauperes, mediocres: mares, fœminas; infantes, pueros, adolescentes, juvenes, seniores, senes; in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus, in voluntatum & conscientiarum varietate innumerabili constitutos, & si quid aliud est differentiarum in hominibus. Quid est enim eorum unde non Deus per unigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes salvos fieri homines velit, & ideo faciat, quia omnipotens velle inaniter non potest quodcunque voluerit? Præceperat enim Apostolus ut oraretur pro singulis hominibus, & specialiter addiderat pro regibus & his qui in sublimitate sunt, qui putari poterant fastu & superbiâ*

superbiâ sæculari à fidei Christianæ humilitate abhorrere; Providè dicens, Hoc enim bonum est coram Salvatore nostro Deo, ideſt ut etiam pro talibus oretur, statim ut desperationem tolleret addit, Qui omnes homines vult salvos fieri & in agnitionem veritatis venire. Hoc quippe Deus bonum judicavit ut orationibus humilium, dignaretur salutem præstare sublimium. Quod utiq; jam videmus impletum. Isto locutionis modo & Dominus est usus in Euangelio ubi ait Pharisæis, Decimatis mentam & rutham & omne olus; Neq; enim Pharisæi quæcunque aliena & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hic omne olus, omne olerum genus, ita & illic, omnes homines, omne hominum genus intelligere possumus.

Finis Catechiſmi Gratiæ & Scholiorum ad illum.

Mantissa.

HActenus viſum ex *Catechiſmo Gratiæ* Janſenitarum in communione Romana, noſtriſque ad illum Scholiis, ipſos ſentire cum Paulo, cum Auguſtino, cum Eccleſijs Reformatis in graviſſimis hiſce Religionis Chriſtianæ capitibus; eaque ponere principia certa & indubitata, ut-ut Jeſuitis & omnibus ingratis reliquiis Pelagij, tam in Papatu quam extra illum, valde ingrata, ex quibus conſtabiliantur & colligantur multo plures veritates inter nos & Pontificios hucuſque controverſæ. Quare mirum non eſt quod Doctrina Janſenitarum tam vehementer impetatur à Jeſuitis, & ſpeciatim hic Catechiſmus ita ſit illis exoſus, ut illum, pro ea qua pollent apud Inquiſitores Romanos poteſtate, proſcribi curaverint. Id factum nihilominus tam timidè ab ipſa Inquiſitione ſacerrima, ut unà damnaverit alium libellum qui ab aliquo Tenebrione Jeſuiticæ factionis huic oppoſitus fuerat. Quùm autem in *Præfatione* promiſerim me illam Proſcriptionem Lectori exhibiturum ad calcem noſtrorum Scholiorum, fidem nunc libero, & ea ſic habet.

Feria v. die VI. *Octobris*, *M. DC. L.*

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis, habitâ in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, coram Sanctiſſimo Dño Innocentio, Divinâ Providentiâ Papa

X. ac

X. ac Eminentissimis & Reverendissimis D. D. S. R. E. Cardinalibus, in universâ Republicâ Christianâ adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

HOc *anno 1650 editus est libellus Gallico idiomate, cui Titulus,* Catechisme de la Grace; *sine nomine Authoris, & absq; impressionis loco; Contra doctrinam in eo libello contentam Libellus alter pariter idiomate Gallico impressus est, cui Titulus,* Catechisme, ou abregé de doctrine touchant la Grace Divine, selon la Bulle de Pie V. Gregoire XIII. Urbain VIII. Antidote contre les erreurs du temps, par un Docteur de la S. Theologie de Douay; A Douay, ches la Vefue Marc Vuion, à l'enseigne du Phœnix, 1650. *Cùmq; in opusculis prædictis materia Gratiæ Divinæ & Liberi Arbitrij contineretur, præfatus S. Dominus Noster, ne mentes fidelium ex eorum lectura periculo & scandalo exponerentur, per Theologos ejusdem Sacræ Congregationis Qualificatos, ad hoc specialiter deputatos, Doctrinam in eis contentam examinari mandavit, eorumq; censurâ demum relatâ, & auditis votis Eminentissimorum & Reverendissimorum D. D. Cardinalium Generalium Inquisitorum, libellum utrumq;, sive Gallico sive alio idiomate excusum, prohibendum censuit, prout præsenti decreto omninò prohibet. Primum siquidem, cui titulus,* Catechisme de la Grace, *quia in eo continentur quàm plures sententiæ, aliàs per fel. mem. Pium V. Gregor. XIII. & Vrbanum VIII. damnatæ. Ambos verè, quia ex professo tractant materiam de Auxiliis, quam non licuit inprimere nisi prius obtentâ à Sede Apostolica licentiâ, juxta decreta piæ mem. Pauli V. & Vrbani VIII. Et propterea eorum Auctores pœnis, in prædictis constitutionibus & decretis Apostolicis contentis, subjacent. Deniq; quia in forma & sub nomine Catechismi vernaculâ Gallorum linguâ vulgati sunt, cùm tamen materia in eis digesta superet captum vulgi, cui lac potum dare oportet, non escam istam quam glutire non potest. Mandat propterea Sanctitas sua, ut nemo cujusq; gradus & conditionis existat, etiam speciali & specialissimâ notâ dignus, libellos prædictos, aut aliquem ex illis, apud se retineat, aut legat, ne ve imprimere aut curare imprimi audeat, sub censuris & pœnis contrà hujusmodi delinquentes statutis, sed statim à præsentis decreti notitiâ illos locorum Ordinariis vel Inquisitoribus consignet.*

Johannes Antonius Thomasius, S. Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius.

Anno

Anno à Nativitate D. N. I. C. 1650. Indictione 3. die verò 8. mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Innocentij Divinâ Providentiâ Papæ X. anno ejus septimo, suprà dictum decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicarum S. Iohannis Lateran: & S. Petri de Vrbe, nec non ad valvas Palatij Sacræ Inquisitionis & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Hieronymum Mascellam, ejusdem Sanctiss. D.N. Papæ & sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Venetiis, ex Typographiâ Dinellianâ M. DC. L.
Superiorum permissu.

Multa possent notari circa hoc Programma: & audio ipsos Jansenitas illud habere pro subreptitio, & clanculariis Jesuitarum artibus extorto: Sufficiat monuisse I. Inquisitionis Romanę tribunal esse tribunal iniquitatis, cui ut plurimum nihil displicet nisi Veritas. II. Nondum tamē ausos esse sacerrimos illos Inquisitores *adversus hæreticā pravitatem*, pravitatis hæreticæ doctrinam Gratiæ palàm insimulare. III. Innocentium Papam hujusce nominis X. hodiè Sacram illam, eodem sensu quo *auri sacra fames*, occupantem, vel in eo Nocentium esse quod δὶς διὰ πασῶν recedat à mente Pauli, Augustini, suorum etiam in eadem Sede prædecessorum; Innocentij I. Zosimi & Celestini I. qui Augustini doctrinam contra Pelagium amplexi & tuiti sunt; nec non Nicolai, 400. post eos annis, qui ut pertendit Ampliss. Mauguin Concilij Valentini 3. Canones sex pro causa Gotteschalci, oppositos quatuor capitulis Hincmarianis, in Concilio Tullensi & Lingonensi confirmatos, etiam suo calculo comprobavit. IV. Ridiculè & perabsurdè proscribi quicquid in causa Gratiæ, vel *pro* vel *contra* adferatur; instar illius qui ad vitandas rixas de Religione volebat omnibus prohiberi ne quis de Deo vel benè vel malè loqueretur. In eo autem videmus plus Romæ vigere prudentiam carnis, quam præsentiam Spiritus: Si enim ea est Papæ infallibilitas quæ jactatur, cur tamdiu homines suæ Communionis retinet in suspenso, & maximi momenti quæstiones indecisas relinquit? Sed hic lupum tenet auribus, & quod jam ante dixit & in Arnaldi causa, *jo non so Theologo*, in ista repetit; & arbitratur judiciariam suam potestatem non melius inter dissidentes exerceri posse, quam nihil judicando. Metuit enim

enim ne decisiones suæ in apertas divisiones erumpant, & positus in medio, inter sacrum & saxum, hinc nigros fratres & Jesuiticam factionem optimè de sacerrima sua Sede meritam offendere non vult; illinc non audet crabrones nimis irritare, & viros doctos tuentes meliorem & sanctiorem causam, ac omni Christiano salutis suæ studioso longè acceptiorem, adigere ad extrema; ne Romæ mandent ut res suas sibi habeat, & transalpinas appellationes æquè prohibeant, ac olim transmarinas Africani Patres, quos inter fuit & Augustinus, interdixerunt. V. Catechismum quidem Gratiæ continere plures sententias in Michaele Bajo Doctore Lovaniensi & ejus discipulis nigro notatas lapillo à Pontificibus in Programmate commemoratis; sed tamen quas cum Paulo & Augustino optimè convenire, Iansenius in suo *Augustino* passim luculenter demonstravit. VI. Parum moveri prudentiores illis Censuris Pontificiis, cum fulmina sint ex pelui, & Paparum infallibilitatem nec ii admittant qui nondum ære lavantur; imò Sorbonici Doctores cum universa Ecclesia Gallicana jus sibi reservent à Papa ad Concilium provocandi, illudq; suorum prędecessorum usurpandi, Si Papa nos excommunicet nos ipsum excommunicabimus. VII. Commemorari quidem in *Catechismo Gratiæ* plures sententias à tribus Papis damnatas; sed dissimulari quod in unius Molinæ Iesuitæ Pelagiani libro *de Concordia liberi arbitrij cum Gratiæ donis*, quinquaginta propositiones proscriptæ fuerint, judicio Clementis VIII. & Pauli V. quando post examen decennale in Congregatione de Auxilijs, controversiæ à Molina & Lessio Iesuitis in his capitibus motæ, eorundem Pontificum authoritate *ex S. Augustini sententia composita fuêre*, ut nos docet Ampliss. Mauguin *in præf. tom. 1. Vindiciarum suar.* adeoque secundum doctrinam quæ à Catechismo Gratiæ à nobis nunc illustrato proponitur. Quod si illius Censuræ Molinianæ Diploma, *quod* (inquit Ampliss. Præses) *in scrinijs Apostolicis cum Actis Congregationum servatur*, prodiret in publicum, innotesceret magis *Concordia Discors* Sedis Romanæ, ac videremus in oppositis Iansenitarum & Iesuitarum castris, hinc inde Pontifices Pontificiasque Censuras, adeoque pares aquilas & *pila minantia pilis*. VIII. His artibus Romanis opprimi quidem ad tempus Veritatem & bonam causam, non tamen penitùs posse supprimi. Et sanè valde ridiculum foret non posse proponi & defendi Gratiam Dei absque

speciali Gratia & indultu Episcopi Romani, cui homini nisi Deus placuerit, nec Deus erit. IX. Authorem Catechismi susque deque habiturum, si sapiat, pœnas Paparum comminatorias, ad quas vel ipsi pueri nasum Rhinocerotis habent. Quoad nos, invitis Papâ, Diabolo, Inquisitione, Jesuitis, securique sub lauro Gratiæ fulminum Væ-Iovis Tarpeji, hanc opusculi illius Versionem & Elucidationem, ad Gloriam Gratiæ Divinę alacriter adornavimus. X. Tenebrionum esse & furum occultantium lucernam sub modio, invidere plebi Christianæ notitiam Gratiæ Christi Servatoris, eademque tyrannide Catecheticos libellos ad illam inculcandam & promulgandam linguâ vernaculâ Romæ interdici, quâ Biblia Sacra qualibet linguâ vulgari ejusdem Inquisitionis Draconiis Edictis prohibentur. Hoc cibo quidem nihil solidius, sed neque hoc lacte quicquam dulcius: Et soli demum illi hanc escam vel invident aliis, vel ipsi aspernantur, quibus volupe est post fruges repertas glandibus adhuc vesci, & siliquas Pelagianas ac Jesuiticas præferre mannæ Gratiæ & pani Paterno. Sed frustrà hi conatus: Tandem enim, sic ominor, sic voveo, bona causa triumphabit, & ipsa Dei Gratia perrumpet aggeres astutiæ Jesuiticæ & tyrannidis Pontificiæ, ac ipsis Papæ & Inquisitionis Cursoribus multo celerior, eorum iniquissimis Proscriptionibus sua Programmata opponet: non quidem *in acie Campi Floræ*, Meretricis Romanæ, sed ad valuas Ecclesiæ, toto orbe audiente & admittente, ubi fascino Jesuitico se exsolverit, affigenda & publicanda.

F I N I S.